





Q. D. B. V.
COLLEGIUM CRIMINALIS PUBLICI
DISSERTATIO SEPTIMA

34
69

DE
JUDICIO ET PRO-
CESSU CRIMINALI
ORDINARIO & PERSONIS, QUÆ
ACCUSARE ET ACCUSARI POSSUNT,
VEL NON, NEC NON ALIIS REQUISITIS
LEGITIMÆ ACCUSATIONIS,

1668 125

Quam
Consensu Magnifici ac Nobilissimi Jctorum Ordinis,
PRÆSIDE,
POTENTISSIMI AC SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ
CONSILIARIO SPLENDIDISSIMO,
VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO

DN. WERNERO THEODORO MARTINI,
JCTO, ET ANTECESSORE IN HAC ALMA LEUCO-
REA CELEBERRIMO, CURIÆ ELECTORALIS, CONSISTORII EC-
CLESIASTICI, FACULTATIS JURIDICÆ ET SCABINATUS, NEC
NON JUDICII DUCALIS, QVOD IN INFERIORIS LUSATIÆ
MARCHIONATU EST, ASSESSORE GRAVISSIMO,

DN. Patrono, Preceptore atq; Affine suo observando,
PUBLICO EXAMINI EXPONIT

ALBERTUS FRIDERICUS à Syborg/
Magdeburgensis.

Horis matutinis, ad diem Maji.

WITTEBERGÆ, LITERIS MICHAELIS Wende / Anno 1668.



COLLEGIUM CRIMINALIS PUBLICAE
DISSERTATIO SEPTIMA

JUDICIO ET PRO.

CESSU CRIMINALI

ORDINARIO & EXTRAORDINARIO

ACCUSARE ET ACCUSARI

PROBARE ET PROBARI

INSTRUMENTA

DE WERNER THEODORO

ACTORIS

REACTORIS

ALBERTI



I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO CRIMINALIS SEPTIMA

De

JUDICIO ET PROCESSU CRIMINALI ORDINARIO

RESPONDENTE,

ALBERTO FRIDERICO à SYBORG,

Magdeburgense.

CAPUT PRIMUM

De

JUDICIO, Processu & Actionibus in genere quomodo ab invicem distinguantur, & in Specie de Descriptione Judicii & Processus Criminalis.

SUMMARI A.

- | | |
|---|--|
| 1. Continuatio methodi. | 8. Differentia utriusque actionis & civilis & Criminalis. |
| 2. Differunt Judicium, Processus & Actio Criminalis. | 9. Descriptio Judicii. |
| 3. Actionis definitio legalis. | 10. Impropiè locus judicii ipsum vocatur judicium. |
| 4. Actio solis Ictis familiaris in jure consistit, quæ opponitur aliis actibus vel actionibus extra Juris prudentiam, quæ facti sunt. | 11. Processus cum Actione & judicio vulgari loquendi modo sæpius confunditur. |
| 5. Actio Contentiosa vel Juris duplex vel Civilis vel Criminalis. | 12. In rei veritate autem aliud est judicium, alius ille ordo, secundum quem judicium exercetur. |
| 6. Καὶ ἐξ ὧν actio dicitur Civilis, Specialissime autem Actio Personalis. | 13. Rationes differentie ob quas Judicium differt à Processu & Processus ab actione. |
| 7. Actio criminalis speciale sæpe nomen assumit accusationis, inquisitionis, denuntiationis. | 14. In quo nam consistat differentia inter judicium & Actionem. |
| | 15. Metho |

Am m



1. Romisli nostri non immemores, quod de-
Dimus Dissertatione nostrâ 1. cap. 3. num. 1. enu-
 cleatâ & præmissâ obligatione, quæ ex delictis ori-
 tur, nunc ad eas descendimus *Actiones*, quæ ex al-
 legatâ obligatione nascuntur, quas ad materiam
 de Judicio & Processu criminali haud opinor in-
 congrue esse reservatas. Cum etenim actiones criminales insti-
 tui nequeant, nisi in judicio secundum ordinem & Processum
 Jurisformato, jam de Judicio & Processu nec non Actionibus
 criminalibus breviter erit diserendum. Et quamvis horum
 vocabulorum sit usus indifferens & promiscuus inter *Dd.*
 illorum tamen differentia, quatenus in rei veritate subsistit,
 indaganda est in antecessum. Quod nempe revera diffe-
 rant Processus, Judicium & Actio Criminalis, patet
 ex diversis & singularibus eorum, quas admittunt descri-
 ptionibus. Actio describitur ab Imperatore Justiniano *pr.*
Inst. de Actionibus: jus persequendi in judicio, quod sibi debetur, quam
mutuavit à JCro Celso in l. 51 Nihil aliud ff. de Oblig: & action. qui
paullum immutatis verbis ita loquitur: Nihil aliud est actio,
quam jus, quod sibi debeat, judicio persequendi. Quæ definitio
 4. solis JCrts familiaris est, & separat actionem, quæ jure effectum
 habet ab illa actionis significatione, qua quivis actus vel natura-
 lis vel civilis vel artificiosus extra Jurisprudentiam consideratus
 hoc nomine actionis insignitur, ut patet ex *lheredis 12. §. fin. ff. qui*
testam. fac poss. l. 3. §. fin. ff. de Donat. inter vir. & ux. quæ à *Vulstejo*
ad Inst: b. l. rectè appellantur actiones facti, quemadmodum hæc
 juris ut patet ex genere definitionis. Quæ actio, quia in foro &
 judicio ut plurimum instituitur ubi deciduntur & sopiuntur lites,
 dicitur etiam non absurde Contentiosa, & hæc quidem quæ in
 5. judicio ventilatur actio, si sit de causa civili, ut puta Contractibus
 ultimis voluntatibus &c. Civilis, si de crimine vel delicto quo-
 6. dam, Criminalis vocatur, quamvis enim *ἐξ ὀχθῆς* actio interdum
 de sola intelligatur civili quæ etiam persecutionem comple-
 ditur, imò specialissimè soli attribuaturs actioni personali *L. Actio-*
 nis

nis ff. d. V. S. & quamvis illa, quæ Criminalis est videatur aliud 7.
 nomen assumpsisse specialius, quod vel per accusationem vel in-
 quisionem, vel denunciationem ex primatur, his tamen non at-
 tentis supra dicta definitio Celsi & Justiniani etiam Actioni Cri-
 minali benè potest applicari cum *dissertatione nostra* 1. à nobis
 fuerit demonstratū, quod siue obligatio ex contractu civili sit 8.
 nata, siue ex delicto utraq; quamvis diverso modo, pariat Actionem
 id est jus ad persequendum illud, quod sibi debetur, hâc saltem
 adhibita differentiâ, quod in civili obligatione debitor se astringat
 alteri consentiendo, in criminali. offendendo & delinquendo,
 & debitum in illa solvatur præstando, numerando, faciendo, dan-
 do, in hâc verò pænæ inflictione, pro portione observata inter
 debitum & pœnam. *Vult ejus. Commentar. ad Instit. pr. Instit.*
d. obligat. que ex delictis nasc. Et tantum de descriptione Actionis. 9.
 JUDICIUM describitur à Dd. (cum ejus plenaria definitio in Ll.
 non extet) Legitima controversiæ inter actorem & Reum coram
 Judice disceptatio *Schnobel. Disputat. Pandect. 5. 0. 1.* Vel ut alii
 volunt legitima judicis cognitio inter litigantes de re controver-
 sâ. *Vult ejus Commentar. ad Instit. pr. d. Actionib. num. 17.* Quâ 10.
 descriptione non significatur locus ubi judicium exercetur, qui
 sæpe etiam judicium vocatur, perinde ut Jus sæpe sumitur pro lo-
 co, in quo jus redditur vel judicium exercetur, ut patet ex *l. ii.*
Jus pluribus ff. d. J. & J. nec non t. t. ff. De in jus vocando. Sed
 hâc descriptione innuitur ille actus solennis, quo Judex jus red-
 dit inter litigantes id est justitiam administrat applicando quæ-
 stionem facti ad juris & justitiæ normam. Quæ norma & qui or- 11.
 do, qui in judicando observatur dicitur Processus, qui quamvis
 interdum videatur idem esse cum actione, secundum vulgarem
 loquendi modum *Einem proces haben Einem proces Subren/ id est*
actionem & jus persequendi habere in judicio, interdum etiam
& cum judicio confundatur, quod in praxi & Practicorum libris
deprehendimus, qui teste Carpzovio illas duas voculas indiffe-
renter accipiunt. Proces. Judic. lib. 1. in pr. Revera tamen & Pro- 1.
 cessus ab actione & à Judicio differt & describitur: Modus & or-
 do, secundum quem ejusmodi judicium vel disceptatio rei con-
 troversæ instituitur. Qui processus ita differt à Judicio uti cere-
 moniæ

monia ab ipso cultu & exercitio sacro ut omnia fiant ordine & de-
 13. center in Ecclesia & in foro seu judicio. Exdatis ergo descri-
 ptionibus peculiaribus tandem colligimus separata illa esse tria
 Actionem, Judicium & Processum Criminalem. Et quidem ut
 ordine inverfo progrediamur, quomodo Processus distet à judi-
 cio jam modo dictum, quomodo ab actione verò differat facilè
 concluditur, quod processus totum dirigat judicium & obser-
 vandus sit non saltem à Judice, sed & partibus litigantibus, cum
 actio saltem jus partis litigantis exprimat, principaliter quidem
 ejus, qui prius in judicium provocat vel Actoris, secundo
 etiam ejus, qui se defendit, cum & Exceptiones nomine actionum
 14. veniant. Quantum verò differentiam attinet inter Judicium &
 actionem, illa vel ex sola descriptione Actionis depromi potest,
 quæ actio vocatur Jus, quod in Judicio vel judicio persequimur.
 quæ duo necesse est ab invicem esse separata, cum aliud sit id,
 quod in judicium deducitur, vel jus, quod urgemus & intendimus
 & aliud judicium, in quo vel per quod jus illud nostrum conse-
 quimur, ut non aberrant, qui statuunt, Actiones à Judicio differ-
 re ut partem à toto. Et si actiones forte sumantur pro toto judi-
 cio id fieri ut cum Rhetoribus loquamur per synechdochen par-
 tis pro toto. Quæ differentia porro & inde probatur, quod de
 judiciis in alia parte ff. tractetur, quam de Actionibus. uti & hoc
 subtiliter observavit Vultejus ob hanc differentiam motus, quod
 Actiones non alio sensu vocari possint præter Personas & Res
 tertium Objectum juris nisi hoc sensu vocabulum Actionum in-
 telligas, quod actio non absolvat totum objectum si partem il-
 lam & quæstionem solummodo sumas quæ in judicio ventilatur.
 Plura de hac differentia inter Judicium Processum & Actionem
 videri poterunt apud eos qui ad Processus Judicarios commen-
 tati sunt, quorum insignis datur copia, inter quos tamen eminent
Robertus Maranta in specul. Aureo part. 1. per tot. Ilico Ummius Di-
sputat. ad Proces. Judicarium, Modestin. Pistor. in Proces. Judiciar:
 15. *Emericus à Rosbach. in proc. judic. Civil. tit. 1. num. 3.* Nos ne er-
 rorem committamus & confundamus has species, principaliter
 de toto nempe Judicio loquemur Criminali in hac nostra disser-
 tatione, quo perspecto facilè & incidenter cognosci poterit quid
 juris

Juris fit in parte id est Actione Criminali vel Processu. Cum pars in fit toti, non viceversa.

Judicium ergo Criminale nobis esto legitima Judicis, qui Jurisdictionem habet criminalem disceptatio super causa criminalis. Processus vero criminalis ordo & modus, secundum quem judicium illud Criminale dirigitur & instituitur. Actio criminalis jus illud persequendi in judicio criminali quod sibi laeso debetur a delinquente vel Reo. De singulis ea brevitate dicetur, qua fieri poterit, cum animus non sit soli lucem, id est infinitis illis Commentariis, qui de Processu criminali exstant, Commentarios addere, sed perspicuas quasdam Theses proponere publico discursui accomodatas.

CAPUT II.

De

JUDICII CRIMINALIS DIVISIONE

& differentia inter Processum Accusatorium seu Ordinarium & Extra ordinarium, seu inquisitorium.

SUMMARI A.

1. Ulti judicium civile ita quoque Criminale in Ordinarium & Extraordinarium vel summarium dividitur.
2. Ordinarium ab inquisitorio distat ordine & dignitate, ut huic locus non sit illo deficiente.
3. Ordinarius cum inquisitorio cumulari nequit processus praesertim in foro Saxonico.
4. Ordinarium ab inquisitorio distat judicio personis judicium
5. Non inquisitorium sed Ordinarium est Judicium si Fiscalis vel Procurator fisci accusatoris partes sustineat.
6. Ordinarium ab inquisitorio differt ipsa forma & qualitate Processus.
7. Argumenta contra hanc divisionem.
8. Rationes decidendi.

Quemadmodum judicium, quod constituitur super causis & questionibus civilibus, non unius est generis, dum modo dividitur in ordinarium & summarium, modo in petitorium & possessorium.

Mmm 3;

sessorium

fessorium, ordinarium & executivum, regulare & irregulare & quæ centum aliæ sunt species, de quibus pleni sunt Practicorum libri, & de quibus singulis imprimis accuratè tractat Maranta in libro suo aureo de Judiciis per totum. Ita Criminale ex receptissima inter Dd. & in foro approbata sententia dispescitur in Accusatorium seu Ordinarium, & Extraordinarium seu Inquisitorium. Quæ divisio similitudinem quandam habet cum illa: quæ Judicium Civile dividitur in Ordinarium & summarium. Sicuti enim Ordinarium judicium in civilibus causis tunc locum habet, quando causæ gravitas postulat, ut juxta legitimum & usitatum procedendi modum disceptetur interveniente litis contestatione, solenni probatione & reprobatione &c. Summarium verò in quo de simplici & plano breviori saltem via proceditur, quamvis non neglectis processibus substantialibus. *Benedict. Carpzov. Process. Jur. tit. 1. articul. 1. n. 1. & seqq.* Ita Judicium Ordinarium criminale illud dicitur, in quo Accusator Reum ordinaria actione convenit modo & ordine illo processus, qui observari solet in causis civilibus, quæ ordinariè tractantur. Extraordinarium verò & inquisitorium, quando nullo existente Accusatore vel desistente causæ criminales ex officio à Judices summariter tractantur & deciduntur. Ex quibus facile colligi potest quæ sit differentia inter Processum Accusatorium ordinarium & inquisitorium.

2. Nonnulla tamen huc apponere operæ pretium erit. (1.) Ordinarium Judicium Criminale ordine & dignitate præstat extraordinario, quod ipsa vocis innuit genuina significatio, cum illud quod ordine fit, prius & præstantius sit illo, quod fit extra ordinem, cui consentit communis in foro Practico recepta Juris Criminalis regula: quod quamdiu locus esse potest processui ordinario, non deveniatur ad extraordinarium, quod sic intelligimus, tum demum in crimina à Judice inquiri præsertim majora & scandalosa, si non sit qui delinquentes legitimè accuset: Seu ut cum scholâ Practicorum loquamur, non proceditur in causis criminalibus per viam inquisitionis, nisi deficiente via accusationis, quod tamen fallit, si accusator tergiversetur nimis diu, tunc enim semel capta inquisitione non recurritur ad accusationem.

3. *Carpzov. prac. crim. part. 3. qv. 107. n. 55.* (2) Ordinarius Processus in

in Criminalibus causis non solum ordine distat ab inquisitorio, sed si instituat ille, extraordinarium penitus excludit, ut insimul institui nequeant. Quod axioma criminale imprimis obtinet in Germaniæ plerisque judiciis & in specie in illis quæ Electoratu Saxoniz subsunt, quamvis in Italia hos duos Processus comparibiles & uno eodemq; iudicio exerceri posse asserat Jul. Clarus lib. 5. sentent. 55. ult. quest. 3. n. 8. & probatur quidem prior sententia à similitudine processus civilis in quo ad extraordinarium remedium non recurritur nisi deficiente ordinario *argum. l. 3. §. ult. ff. d. Nov. op. nunci. l. 7. in verbis: nihil facile mutandum est ex solennibus & c. ff. d. in integr. restitut. l. 1. §. 1. ff. d. dol. malo in verb. si alia actio non sit.* Patet hoc ex Restitutione in integrum, iudicio Possessorio, quod præfertur petitorio, & aliis text. & exemplis juris civilis cui accedit in foro Saxon. Ordin. Polit. de anno 1612. tit. von Justit. Sachen num. 5. in verbis. Wann sonderlich ein Kläger vorhanden welcher seine accusationem selbst mit übergebung des libels ordentlicher Weise in proces persequiren und vorführen will, NB. nicht als bald mit der inquisition verfahren werde.

(3.) Differunt ab invicem iudicium ordinatum & extraordinarium criminale Personis iudicium constituentibus. Ad illud enim necessario tres requiruntur Principales personæ. Actor seu Accusator, Rens & delinquens & denique tertio JUDEX: ex quibus si una deficiat iudicium est nullum. Hoc vero à solo Iudice expediri potest, vicem Accusatoris subeunte ob communem Reip. salutem, ne delicta maneant impunita non existente accusatore & inquirente in delicti veritatem quod iudiciis, fama aliisq; conjecturis à Reo creditur esse perpetratum:

Ubi notamus errorem illorum, qui etiam hunc processum vocant Inquisitorium, quando vel ex consuetudine loci vel statutis provincialibus Fiscalis seu Procurator Fisci Accusatoris vices sustinet & replet, vel quando in bene constitutis Rebus publici delatores constituuntur, qui necessitate officii & juramento adstricti sunt ut crimina publica deferant, denuncient tanquam disciplinae publicæ & morum censors facinorosoq; homines conquirentes, qui Romanis dicebantur Irenarchæ. *l. ult. §. Irenarchæ ff. d. munerib.*

406 DE JUDICII CRIMINALIS

merib. l. 6. ff. d. custod. & ex bib. eorum. Hoc enim casu ordinario modo procedi potius quam inquisitorio in sequentibus à nobis circa materiam de accusatoribus demonstrabitur.

6. (4.) Differt iudicium ordinarium ab extraordinario & inquisitorio quoad ipsam formam & qualitatem processus. In illo enim omnia illa observantur quæ in processu ordinario civili, solennis libelli oblatio, satisfactio pro reconventionem & expensis Guarandæ præstatio in foro Saxo. de jure civil. inscriptio & obligatio ad pœnam talionis sustinendam in casum succumbentis, litis contestatio, Exceptionum dilatoriarum & peremptoriarum allegatio, probatio reprobatio sententia, &c. de quibus in subsequenti- bus pluribus dicitur, hoc verò tanquam summario Processu iudex summariter inquirat in delicti veritatem citra solennem strepitum iudicii & omnia alia, quæ ad ordinarium spectare solent iudicium, ita tamen, ut nec illa negligantur, quæ ad substantialia ipsius spectant processus, qualia sunt Citatio Rei, defensio &c. Nec obstat huic divisioni (1.) quòd hodiè accusationis loco successisse videatur inquisitio, & ordinarium quoq; dici possit remedium arg. l. 2. §. 9 ff. de adult. (2.) quòd etiam jure Civili processus inquisitionis sit Ordinarius *Harprecht ad §. 2. J. de publ. Jud. Farinac. præct. Crim. qv. 1. n. 10.* (3.) quòd recepta Germaniæ consuetudine omnia delicta Fiscus vindicet *Treutl. l. 2. Disput. 31. §. 1. R.* ad (1.) Ordinarii vocabulum variis modis dici, vel enim iudicium dicitur Ordinarium in quo solennis processus juris observatur, & hoc modo reverà differt accusatorius ab inquisitorio, vel Ordinarium dicitur iudicium, in quo pœna locum habet Ordinaria, Extraordinarium, in quo pœna arbitraria t. t. ff. extraord. Crim. l. fin. ff. de privab. del. vel deniq; communi usu loquendi ordinarium dici potest, quòd frequenter fit & communiter, Extraordinarium, quòd rarò. Et hoc sensu ordinarium quoq; ob receptam Germaniæ Consuetudinem remedium inquisitio dici poterat, non verò priori illo, quo Processus ordinarius, observabatur, qui opponitur summario, quem sensum hujus loci esse statuimus. textus allegatus pro nostra est sententia. Ad (2.) Resp. Negando, cum regulare sit, quòd iudicium Criminale sine Accusatore non subsistat. Et Uti Civili sine actore, ita inquisitorio locus

locus non est, nisi deficiente Accusatore, quod & juri Saxonico
 conveniens esse demonstravimus. (3.) Receptam Germaniæ con-
 suetudinem largimur, non talem ut accusare volentes repellantur;
 Nec solennis inscriptionis mutatio omnem prorsus accusationem
 sustulisse creditur *Hunn. 2. D. 31. §. 1. q. 6. p. 236.* Consentit nobis-
 cum Rosbach *Proc. Crimin. c. 2. n. 5.* Judex regulariter officium
 non impartitur, nisi petenti, *l. 4. §. hoc autem ff. de damn. inf.* quod
 in criminibus quoq; obtinet, nisi causa sit notoria, quo casu
 fama publica loco accusatoris est, *Wesenb. in Par. tot. tit. de accus.*
n. 2. Quando verò ad inquisitionem procedere possit, docet *l. 2.*
§. si publico, ff. de Adult. ad impediendam inquisitionem cautela
 est, nam Judex semper antequam ad eam deveniat, offensum
 pramonere debet, an velit accusare vel non &c. pro nostra senten-
 tia quoq; facit Struvius *Exerci. 49. §. 9.* A processu Ordinario, qui
 instituitur ad accusationem differt hodie receptus processus in-
 quisitorius: vid: imprimis Rosbach. *proc. crim. tit. 1. c. 7. n. 2.*
 De Utroq; judicio jam specialius erit ordine in sequentibus
 differendum.

CAPUT III.

De

PROCESSU ORDINARIO IN SPE-
CIE ET REQUISITIS LEGITIMÆ
ACCUSATIONIS.

SUMMARIÆ.

- | | |
|---|---|
| 1. Processus Criminalis Ordina-
rius accusatorius præfertur in-
quisitorio & extraordinario | generè permissorum est, quate-
nus LL. accusare non inter-
dictum est |
| 2. Processus Ordinarius duobus
absolvitur: Personis & formâ
Legibus præscriptâ. | 5. Accusationis Descriptio. |
| 3. Vel persona Accusatoris or-
dinarium distinguit processum
ab inquisitorio. | 6. Accusatio de delictis publicis
nec illicita est nec Christiano
homine indigna. |
| 4. De crimine publico accusare, ex | 7. Loca scriptura sacra quæ vul-
go contra accusationem ejusq;
justitiæ allegantur. |
| Nnn | 8. Sacra |

8. *Sacraliteera non publicam, quae à Magistratu fit, delictorum coercionem, sed privatam interdicit vindictam & ultionem.*
9. *Ab orthodoxis Theologis & Augustana confessione & Accusatio & coercitio delictorum publicorum approbatur.*
10. *Munus Accusatoris si pio Zelo fiat & in salutem Reip. pro vili & inhonesto nullatenus habendum.*
11. *Odio tamen digni & invisi sunt Accusatores, qui non pro patriae salute, vel justa alia causa moti, sed solo turpis lucri desiderio accusant.*
12. *Quemadmodum illaudabile Accusatoris munus est, si eo abutatur, ita usus ejus in Rep. summe necessarius.*
13. *In bene constitutis Rebusp. non promiscue cuivis accusandi munus conceditur.*
14. *Nec Legibus Romanis promiscue Accusatio de crimine publico & capitali permittitur, sed certa persona saltem ad eandem admittuntur vinculo satis duro inscriptionis devincta.*
15. *Generales cause, ob quas certa persona ab officio Accusatoris repelluntur.*
16. *Sexus ratione accusare prohibetur femina, quod contra*
- judicium sexui congruentem sit, ut litibus & foro praesertim sanguineo intersit.*
17. *Prædictæ rationi non opus est alias addere sexui ignominiosas & indecoras.*
18. *Expressis LL. mulieres ab onere accusandi sublevantur.*
19. *In privatis delictis quilibet suam suorumque injuriam vindicat, in publicis nemo admittitur nisi certis LL. expresse non sit rejectus.*
20. *E numero personarum quae regulariter accusare prohibentur in criminibus publicis, foemina est.*
21. *Dantur tamen ab hac regula Exceptiones.*
22. *Mulier ad accusandum admittitur, si suam suorumque vindicet injuriam.*
23. *Qui nam propinquorum nomine veniant.*
24. *Accusare potest mulier in Crimine fraudata annonae, hereseos, Crimine Laesæ Majestatis, sacrilegii, nec non crimine suspecti Tutoris, adulterii à Marito commissi.*
25. *Ob status vilitatem servi Romani prohibentur accusare ut & statuli liberi & Liberti.*
26. *Servi & Familiares Dominos accusare praesumentes capitis panâ affici durissima lege jubentur.*
27. *Hac*

ACCUSARE NON POSSUNT.

463

27. *Hec prohibitio de servis hodie cum servitute exstincta merito censetur inter Christianos.*

28. *Etiam Jure Romano servi in certis casibus ad accusandum admitti uti in Crimine anno- nae L. Majest: &c. itemque si necem Domini vindicare volu- erint.*

29. *Servi Romanorum in hac materia equiparantur Mona- chi in ergastulum facta & false pietatis detrusi.*

30. *Quamvis servi Romanorum non accusare, bene tamen accu- sari potuerunt.*

31. *In criminibus tamen, qua vel civitatis amissionem, vel pœ- nam pecuniariam secum ferunt, frustra servi accusantur, cum nec civitatē nec proprii quic- quam habeant.*

32. *Ob adulterium servi à Dominis accusari bene possunt jure Ro- mano.*

33. *In tertia classe accusare pro- hibitorum sunt illi, qui vel ob etatis vel mentis imbecillitate m nesciunt quid agant.*

34. *Pupilli accusare aliter neque- unt, nisi cum vel suam vel suo- rum injuriam exequuntur, vel in Criminibus exceptis, Laesa Majestatis &c. ut tamen accu- sent autoritate Tutoris.*

35. *Minores non aliter quam pu-*

illi accusant, cum Consensu tamen Curatoris, quamvis ex opinione Dd. admittantur e- tiam sine Curatore si majores sint facti 20. annis.

36. *Ab accusatione prorsus remo- ventur infantes, furiosamente capti &c.*

37. *Quarto rejiciuntur ab accu- sando infames, vitiis notati, vel qui alia turpitudine laborant & judicio publico condem- nati &c.*

38. *Quinto in forum accusato- rium non facile intromittuntur Pauperes, nisi sint integra vita.*

39. *Arbitrio Judicis committen- dum praeipue est, quem ad ac- cusandum admittere debeat, nec ne.*

40. *Sexta classis continet Perso- nas, quae ratione conjunctionis necessitudinis vel debita reve- rentia accusare nequeunt illas, quibus vel pietatem, vel obser- vantiam & obsequium debent.*

41. *Liberti contra Patronos ac- cusando insurgentes instar ser- vorum ultimo supplicio con- demnabantur.*

42. *Parentes à liberis non esse ac- cusandos & pietas & reverentia svadet.*

43. *Pietatis & amoris naturalis ductu nec Parentes Liberos- accusare posse credendum est.*

N n n 2

44. Mater

44. Mater ob insidias vite à liberis paratas accusare eosdemp o-
rest.
45. Fratribus & sororibus mutua
accusatio permiffa est, si crimi-
na sint leviora, secus si magna
& capitalia.
46. Pietatis intuitu Alumnus Nu-
tritorem in cujus domo educa-
tus est à teneris, accusare pro-
hibetur de Jure Romano.
47. Inter personas conjunctas
quamvis interdicta sit accusa-
tio criminalis, non tamen pe-
titio civilis vel actio de facto.
48. Quousque se prohibitio inter
Conjunctas Personas de non ac-
cusandae extendat non frustra à
Dd. queritur.
49. Inter Liberos & Parentes pro-
hibitio de non accusando se in-
vicem in infinitum extenditur.
50. Quamvis non Pandectis Juris
scripti expresse, Pandectis ta-
men juris inscripti & innatis
Liberi repelluntur ab accusa-
tione funesta Parentium.
51. Ex eo, quod jure Civili libertis
interdicitur Patronos accusa-
re & liberis Parentes in jus
vocare, firmiter colligitur eti-
am jure Civili non approbatam
esse accusationem Liberorum.
2. Generaliter omnes Personae,
quae ob reverentiam in jus vo-
- cari prohibentur, nec accusari
posse creduntur.
53. Nec Vasalli Dominos Feudi-
citra notam felonie accusare
valent.
54. Quamvis melius sit & pietati
convenientius, lites Parentum
& liberorum intra domum ter-
minari, Patri etiam leviorum
criminum coercitio vi patriae
potestatis competat, in magnis
tamen delictis Pater Jure Ro-
mano Praesidi liberos offerre
potest ut puniantur.
55. Ob crimen adulterii uti Patri
permiffum est filiam occidere,
multo magis accusare.
56. Idem permiffum est si Liberi in-
sidias paraverint vite Paren-
tum.
57. Accusatio Liberorum, quae fit
à Parentibus, pro vera non ha-
betur & solenni, qualis est inter
extraneos.
58. Pater non habet actionem
Furti contra filium.
59. Quamvis Lex civilis Parenti-
bus Liberos accusare permittat
de crimine capitali, lex tamen
naturae illam dissvadere vide-
tur.
60. In delictis tamen atrocioribus,
quibus salus Reip. interverti-
tur, major Reip. quam libero-
rum & Parentum Cura ha-
benda.

ACCUSARE NON POSSUNT.

469

61. Non aliter Parentibus permit-
tatur liberos accusare, nisi si
propriam vindicent injuriam,
non alienam.
62. Inter agnatos & cognatos non
videtur prohibitio extendenda
ultra fratres & sorores.
63. In fratribus & sororibus non
distinguitur num utrinque
conjuncti sint vel saltem uteri-
ni, naturales, vel legitimi simul.
64. Nomine fratrum in hac ma-
teria non veniunt Adoptiu, nec
Patrueles, nec Jurati, nec Col-
laetanei, nec spirituales.
65. Septima classis comprehendit
eos qui, officii ratione accusare
nequeunt.
66. Milites ob id accusare non pos-
sunt, quia sacramento adstricti
se injussos castris recedere nolle.
67. In ordinis contumeliam alias
fingere rationes necesse haud est.
68. Milites extra castra & expe-
ditione constituti ad accusan-
dum admittuntur.
69. Nec non si suam exequantur
injuriam, vel veterani sint, vel
militare sit delictum.
70. Clerici ob caelestem militiam
quam militant, aequae a foro ac-
cusatorio capitali removen-ur
71. Qui Magistratus in jus vocari,
iidem nec accusare possunt
72. Accusare nemo simul duo spo-
rest nisi de eodem delicto vel con-
nexo & dependenti.
73. De crimine Adulterii insimul
& Adultera & adulter accusa-
ri nequeunt.
74. Accusare nequit ille, cui ab
Accusato gravius crimen obji-
citur.
75. Accusati crimen par vel minus
objicientes non audiuntur,
antequam se crimine exu-
erint.
76. Mutua compensatione delicta
tolluntur ratione privatorum,
non autem si diversa sint vel, in-
teresse vertatur publicum.
77. Pacta & transactiones remo-
vent Accusatorem ab accusan-
do si de praeterito sint delicto &
capitali, non autem prajudi-
cant vindictae publicae vel aliis,
qui accusare velint.
78. Accusator, qui in uno crimine
calumniatus est, ad alterum
non admittitur deferendum.
79. Qui semel ab accusatione quo-
cunque modo destitit, ad ean-
dem porro non admittitur.
80. Personae omnes, quae non inter
prohibitae connumerantur, ad
accusandum admittenda.
81. Ex pluribus Accusatoribus, si
dissentiant, Judex magis idone-
um eligit.

Nnn 3

Cum



1. **C**um & ordine & dignitate Processus Criminalis ordinarius au-
 2. referatur extraordinario vel inquisitorio, de eo quoque no-
 bis primo loco est dicendum. In quo duo imprimis sunt confi-
 3. deranda (1) Personæ iudicium criminale ordinarium constitu-
 entes. (2) forma ipsius Processus in hoc iudicio observanda. Inter
 4. personas eminet Accusator, qui fere solus ordinariū ab inquisito-
 rio separat & distinguit. De cuius qualitatibus hoc capite erit
 5. imprimis dispiciendum. Proponimus in Jurisprudencia alias
 non incognitam hic statim ab initio regulam: Quod accusare sit
 ex genere permissorium, unde Cuilibet accusare permillum, nisi
 legibus statutis vel consuetudine ipsi sit prohibitum, verba extant
 hac de re in *l. 8. pr. ff. d. accusat* Qui accusare possint intellege-
 6. mus, si sciverimus, quæ non possunt. Est autem Accusatio nihil
 aliud quam Criminis publici in publicum vel ad Iudicem compe-
 tentem delatio ad vindictam publicam solenniter facta *l. 1. 8. 15. C. qui acc. non pos. l. 3. C. pro quil.: caus. ser. l. 11. C. d. adult. l. 9. C. ubi*
 7. *ca. fisc. l. 16. C. ad l. Corn. d. fal.* Quæ accusatio criminum in
 Rep. etiam Christianâ pro licita & utilissimâ habetur, ne delicta
 maneat impunita. Non enim in eorum descendimus castra,
 qui accusationē vel de actionem criminum & denunciationem vel
 Christiano homine indignam, vel actionem quandam vilem, tur-
 pem illaudabilem & inhonestam appellitant. Quamvis etenim
 8. ex nonnullis dictis sacrae scripturae improbari videatur posse ac-
 cusatio & delatio criminis, ultio & vindicta læsi contra lædentem
 dum Christus Lucae 5. in fine ait: *Audistis quia dictum est, oculum
 pro oculo, dentem pro dente &c. Ego autem dico vobis non resistere
 malo, sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam præbe illi &
 alteram & ei qui vult in iudicio tecum contendere & tunicam tuam
 tollere dimitte etiam pallium cui consentit & illud quod habetur Lu-
 cae 6. Diligite inimicos vestros & benefacite eis. & Levit. 19. Non que-
 ras ultionem nec memor eris injuriæ &c. & in contrarium allega-
 tur Exemplum Christi Johan. 8. vers. 11. qui adulteram condemna-
 re volebat. ex quo Photinianorum Weigilianorum & Anabaptista-
 rum turba fortiter colligit Magistratui Politico in Novo Testa-
 mento facultatem pœnâ sanguinis Reos & deliquentes afficien-
 di penitus ademptam. Hæc tamen & alia, quæ cumulantur dicta
 non*

non de publica sed privatâ ultione & vindicta loqui satis, manifestu est, & quâ ratione motus Christus vel adulteram noluerit condemnare, sed â peccatis absolvere, qua etiam de causa Salvator noster Petro interdixit usum gladii satis apparet: quod Christi vocatio non iudicium seculare sed ecclesiasticum & sacerdotale munus respiciat, Petro autem usus gladii tanquam privato interdictus. Et quam erronea hæc sententia sit Photinianorum aliorumque hæreticorum abunde demonstrant & evincunt orthodoxorum Theologorum scripta, ex quibus unicum nobis sufficiat 9.

*Beati Gerhardi in loc Theol. loc de Magistrat. politic. cap. 6 sect. 5 membr. 2. art 3. 3. imo clara & perspicua verba Augustinæ Confessionis. Uad das Christen mögen in Obrigkeit Fürsten und Richter ampt ohne Sünde sein nach Keiserlichen und andern ublichen rechten urthel und recht sprechen übelthäter mit dem schwerdt straffen. Quem admodum ergo reum Criminis capitaliter accusare Christiano homini omnino permissum, cum & in foro Christiano militet illa regula, quod Reip. (Christianæ etiam) interfit, ne delicta maneat impunita, ita nec officium accusationis pro vili, turpi & inhonesto est habendum, modo illud licito fiat modo, bono Zelo & intentione non impia vel iniqua, imprimis ad vindictam publicam communemque Reip. utilitatem, non principaliter & solum ad suam suorum vindicandam injuriam, neque ex odio vel lucri cupiditate. Recte enim Tullius pro Murena. *Accusationis munus cogitent Accusatores non parvam rem esse, sed omnium maximam. Magnum est enim te ad ea comparare, quibus possis hominem â civitate vel ex humanis rebus exturbare. Et lib. 2. offic. prudenter ita de accusatoribus loquitur: Illi invisi & omnibus ac summo odio habendi sunt, qui neque ad propriam vindictam, aut suorum exequendam neque pro Patria, neque pro hospitum aut maxima familiaritate conjunctorum salute neque illustris alicujus gloria ardore accusationes suscipiunt, sed solo turpis, lucri desiderio & cupiditate commoti passim omnes ledunt omnibus sunt infensi. Duri etenim hominis est vel potius vix hominis videtur periculum capitis inferre multis, id enim cum ipsi periculosum est, tum etiam sordidum ad famam, committere ut accusator nominetur, neque sine scelere fieri ullo modo potest, eloquentiâ ad salutem & conservationem hominum datam ad mortalium pestem pernici-**

- perniciemque turpis lucri duntaxat gratia convertere. *Hactenus*
12. *Cicero.* Ex quibus omnibus colligimus, illaudabile, turpe & vile esse accusatoris munus, si eo abutatur. cum ejus verus usus in bene constituta Rep. adeo necessarius sit, ut accusatoribus publica sint præmia constituta *l. 1. §. accusatoribus de fal. mon l. quisquis C. ad l. Jul. Majest. l. non omnes §. ult ff. d. re milit. l. lex Cornelia §. 11. it. ff. d. injur. l. 2. ff. d. jure fisci l. edito §. heredes eod.* Cum accusatio ex intentione accusantis vel licita dicatur vel turpis & illicita ad similitudinem mercaturæ, juramenti & aliarum rerum quæ facile ab usum admittunt. *c. qualitas lucri d. pœnis distinct. §. c. ita 22. que 1.* Uti etiã intelligenda est. *l. peno C. qui accusare non possunt ubi fu-*
13. nestra dicitur vox accusationis. Factum inde est in bene constitutis Rebus p. & statutis & Ll. publicis cautum, ne promiscue accusationes fierent, nec omnes ad accusandi munus arduũ admitterentur. Ita enim monet *Aristoteles lib. 6. Politicor cap. 5. quod bene instituta Resp. curare debeat, ut publicæ accusationes quã rarissime fiant.* Quod idem testatur, de florentissima Rep. Venetorum *Tiberius Decianus tractat. criminal. lib. 3. cap. 4. num. 7.* quod in illa nullus privatus hoc munus accusationis obire possit, sed quod ex lege illud advocatorii Magistratus munus sit, quod privati homines accusatoris personam sumere non possint absque maximã invidiã & incredibili odio accusati & propinorum ejus: quæ certa parant
14. semina seditionum & discordiarum civilium. Et quamvis Ll. Romanis cuilibet privato permillum videatur ad accusationem proflire & contra reos orare quod *Seneca* valde improbat *lib. 3. de benefic.* Eadem tamen Ll. caute admodum procedunt, dum (1) iisdem dispositum, ne cui liceret plus quam duos accusare *l. cum rationibus 16. C. de his qui accus. non possunt ibidemq; Anton. Faber.* (2.) non cuivis simpliciter privato concessa est accusatio criminis, sed multi repelluntur quoque Ll. Romanis, de quibus jam ordine est dicendum. (3.) subscribere debebant jure Romano accusatores, quæ subscriptio inventa est, ne facile quis profleret ad accusationem, cum sciat sibi inultam accusationem non futuram, imo cavere debebant se perseveraturos in accusatione usq; ad sententiam *l. 3. §. 7. pr. ff. d. accusat.* Imprimis jure Romano ab ac-
15. cufatione repellit Vel sexus imbecillitas, vel status personæ, vel ordo

ordo Ecclesiasticus & Clericatus, vel ætatis ratio, vel animi & corporis debilitas, vel sanguinis conjunctio, vel debita reverentia, vel officii dignitas, vel sacramenti militaris vinculum, vel vitæ & morum turpitude, vel criminis societas, vel quæstus & lucri turpis captatio, vel pactum & transactio, vel abolitio criminis, præscriptio, vel delicti compensatio, vel alia quædam suspicio, inimicitia, infamia, quæ & aliæ plures accusantem reprobant & à limine judicii removent, interdum etiam accusati qualitas, officium, dignitas, impedimento sunt accusationi *l. 8. 9. & 10. Quod (1.)*^{16.} sexum attinet muliebrem, regula de eo est, quod ab omnibus officiis publicis & civilibus removeantur fœminæ, qualia sunt judicare vel judicem esse, Magistratum gerere, postulare, pro alio intervenire, procurare. *l. 2. Fœmina ff. d. R. J. cujus prohibitionis ratio videtur non inepta dari in l. 1. §. 4. Sexum ff. de postulando ne contra pudicitiam sexui congruentem causis forensibus se immisceant, si virilibus officiis fungantur, quæ ratio aliquo modo civilior & convenientior est illis, quæ alias in ignominiam sexus, fingi solent, quales sunt quod mulieres suapte naturâ sint mendaces Aristotel. lib. 1. Histor. animal. cap. 9. quod ob pravam naturam facile præsumantur pejerare Authent. d. nupt. §. Qui verò quod ad vindictam magis sint pronæ quam Viri & facile possint corrumpti.*

Juvenal. Satyr. 17.

Vindicta nemo magis quàm fœmina gaudet, quæ vindicta tamen mulieribus interdicta jure Feudali: sicut nec illa ratio sola hic militat, quod nullum habeant judicium, sed solius sexus pudor separat fœminas à Virorum cætu publico & judiciis, quæ magis & frequentius exercentur, imo commodius à Viris, quàm fœminis. *Dionis. Gotofred. in notis ad l. 2. ff. d. R. J. Romanorum ergo publicis legibus ab accusatione criminum remotæ sunt fœminæ l. 1. ff. d. accusat. his verbis: Non est permissum mulieri publico judicio, quenquam reum facere, id est: accusare. Adstipulatur ei l. 8. ff. eod. Qui accusare possunt intelligemus, si scierimus, quæ non possunt: Itaq; prohibentur accusare a lii propter sexum ut mulier. Ex his & aliis LL. juris civilis formant Criminalistæ regulam, quod mulier in publicis judiciis regulariter prohibeatur ab accusatione. Cui tamen*

O O O

tamen

tamen regula ad meliorem intellectum & illae duae praemittendae sunt, quod (1) In privatis delictis ad accusandum non admittuntur nisi qui suam vel suorum injuriam prosequuntur. (2.) In publicis vero criminibus quilibet ad accusandum admittitur qui expressè non prohibetur. *l. 8. pr. ff. d. accusat. l. qui catu §. final. ff. ad L. Jul. d. v. publ. l. licitatio §. quod illicitè ff. de public. & vectigal.*

20. Ex illarum itaq; personarum numero, quae regulariter prohibentur, est imprimis, ut dixi, foemina, cujus ratio, quod in popularibus actionibus, quae omnibus patent non auditur foemina, nisi doceat suum interesse *l. mulier. ff. de popular. action.* Et hanc generalem prohibitionem tanquam regulam in jure Romano datae & consignatae exceptiones firmant in casibus non exceptis. Notabilia enim sunt verba Icti Papiniani *in l. 2. pr. ff. de accusat. Certis ex causis concessa est mulieribus publica accusatio.* Ergo in contrarium est regula *l. jus singulare ff. d. LL. l. de crimine C. qui accus. non possunt.* Causae illae jam ex LL. Romanis sunt nobis hauriendae. (1) est *in l. 1. ff. d. accusation.* his verbis: *Non est permissum mulieri publico iudicio quenquam reum facere, nisi scilicet Parentium liberorumve & patroni & patronae, & eorum filii, filiae, nepotis, neptis mortem exequatur.* Aliter paulo haec prima exceptio exprimitur *in l. 2. ff. eod. Certis ex causis concessa est mulieribus publica accusatio veluti si mortem exequantur eorum earumq; in quos ex lege testimonium publicum invitari non dicunt.* Clarius & magis perspicue hac ponitur exceptio *in l. 11. princ. ff. eod. Hi tamen omnes.* Cennarrati in *l. 8.* ubi mulieres mentio quoque fit.) *Si suam injuriam exequantur mortemve propinquorum defendant ab accusatione non excluduntur.* Propinquorum nempe nomine veniunt, Parentes & Liberi, Quasi parentes &

23. quasi liberi, Socer socrus, Noverca nurus, vitricus privignus, quidni etiam uxor & maritus, frater & soror &c.

24. (2.) Foemina ad accusandum admittitur in crimine annonae: *l. 13. ff. de accusation. Mulierem propter publicam utilitatem ad annonam pervergentem audiri a praefecto annonae deferentem Divus Severus & Antoninus rescipserunt.* (3.) in omnibus illis delictis ad accusandum admitti posse mulier videtur, quibus enormiter Resp. laeditur. Uti est crimen haereseos *cap. vergentis X. d. haeret. l. de Crimine C. qui accus. non poss. l. Manichaeos C. de haereticis.* Praeter haereseos crimen

concess.

Concessum quoque est mulieri accusare in crimine sacrilegii *l. si quis in hoc C. d. episcop. & Cleric. Crimine Læsæ Majestatis. l. in questionib. ff. ad l. Jul. Majestatis utpote in quo crimine omnes inhabiles admittuntur. Tiberius Decianus lib. 3. cap. 7. n. 22. & aliis Mulieri in primis permissum est suspectum Tutorem accusare, præsertim si perpensa pietate id faciat, nec sexus verecundiam egrediatur. §. consequens Insti. d. susp. tutor. (5) Mulieri permissum est Maritum adulterii accusare *Constit. Carol. art. 120.* In classe secundâ eorum qui Accusare prohibentur de jure Civili sunt servi, ob statum, cum personam etiam in civilibus causis standi in judicio non habeant, sed habentur pro nullis. *l. quod attinet ff. d. R. I. quæ prohibitio etiam extenditur ad statuliberos & Libertos. l. ult. C. de his, qui accusare non pos.* Imo servis & familiaribus de jure Romano tam severe interdicta est accusatio, ut capitali pœna delatores & accusatores affici jubeantur, uti patet ex durissima lege *20. C. d. his qui accus. non poss.* cujus hæc sunt verba: *Si quis ex familiaribus vel ex Servis cujuslibet domus cujuscumq; criminis delator atq; accusator emerferit, ejus existimationem caput atq; fortunas periturus, cujus dominio vel familiaritate inhaeserit, ante exhibitionem scstium atq; examinationem Judicis in ipsa expositione criminum accusationis exordio ultore gladio feriatur. Vocem enim funestam amputari oportet potius quam audiri.* Quam tamen severam prohibitionem una cum servitute in desuetudinem inter Christianos penitus abiisse arbitror. De jure vero Romano etiam regula illa, quod servi accusare nequeant in criminalibus causis varie limitatur. Admittuntur n. in primis in Crimine læsæ Majestatis *l. 20. C. d. his qui accus. non poss. l. meminisse C. ad l. Jul. Majest.* Nec non in crimine annonæ fraudatæ *l. 13. ff. d. accusat, falsæ monetæ, ambitus. Tiberius Decianus lib. 3. cap. 8. per tot.* Referunt hunc casum, si necem Domini sui velit servus vindicare *l. 1. C. d. precib. Imperat. offerend.* cujus verba huc adscribere pretium erit: *Licet servilis conditio deferendæ precis facile capax non sit, tamen admisi sceleris atrocitas & laudabilis fidei exemplum super vindicanda cade Domini tui, hortamento nobis fuit, ut præfecto pratorio juxta annotationis nostræ decretum demandarem (quem adire cura) ut auditis his, quæ in libello contulisti & reos investigare & severissimam vindictam**



dictam juxta legum censuram curet exigere. Servis Romanorum haec in causa æqui parantur jure Pontificio Monachi, qui subditi sunt Abbati & ad ergastulum simulatae & fictae pietatis condemnati, quorum officium est, nec in civilibus, nec criminalibus causis, foro & rebus secularibus interesse: & qui alieni prorsus esse debent à desiderio & studio vindictae, quale plerumq; accusatoribus deprehenditur. Quae tamen prohibitio cessat, si intervenerit consensus Abbatis, vel certent pro beneficio ecclesiae suae. *Tiberius Decianus d. l.* Quod verò antea de servis Romanorum dictum est, quòd Accusare nequeant alios, ita intelligendum non est quasi ab aliis Accusari non possint. Ratio n. diversitatis in eo est, quod accusari bene possint, ne delicta maneant impunita, non autem accusare, quod juris civilis non sint participes, & quod illis cessantibus, alii accusare vel Judex in delicta ex officio inquirere possit. *Quod si ergo Reus servus postulabitur eadem observanda sunt, quae si liber esset, Et omnibus legibus Rei servi fiunt: excepta lege Julia de vi privata, quia eà lege damnati partis tertiae bonorum publicatione puniuntur, quae poena in servum non cadit. l. 12 ff. d. accusat. §. 3. & 4.* Simile iudicium ferendum, quod in ceteris legibus, quibus pecuniaria poena irrogatur, vel etiam capitis, quae servorum poenis non convenit, sicuti relegatio. *Durior nempe poena ut plurimum servis extra ordinem imminet. §. ult. l. 12. ff. eod.* Quin immò accusari poterunt servi à Dominis suis ob adulterium vel aliud delictum *l. 5. ff. de accusat.* quemadmodum Dominus in crimine capitali si servum defendat, sistendum satidato promittere jubet. *l. 17 ff. de accusat.* Et si quis servos crediderit accusandos non prius ad corporum tormenta veniatur, quam se vinculo subscriptionis adstrinxerit. *l. 12. C. de accus. & inscript.* Et tantum de accusationibus servorum. *33. in Tertia classe illorum, quibus LL. Romanis accusatio in criminalibus causis denegatur, sunt illi, qui vel mentis vel corporis imbellicitate laborant, quiq; ad rem magni momenti & praedicii ob talem defectum minime admittendi. Tales sunt ob aetatem pupilli. l. 8. princ. ff. de accusation.* qui nec ad popularem actionem admittuntur ad exemplum mulierum, nisi quum ad ejus res pertineant actiones *l. b. Mulieri ff. de popular. actionib.* Quod tamen limitatur, si Pupilli Patris, vel Avi sui mortem exequantur quod

ACCUSARE NON POSSUNT.

473

quod ipsis ex consilio Tutorum permittitur. *l. 2. §. 5. Pupillis ff. de accusation.* Quod & Tiberius Decianus extendi posse existimat ad illa delicta, in quibus facilius homines ad accusandum admittuntur in favorem & salutem Reip. ut in *Crimine Falsi, Majestatis, Hæresis*, ita tamen, ut in accusationibus horum criminum Tutorum auctoritas præcedat, non subsequatur. Num eadem, quæ de ³⁵ Pupillis dicta modo est, se extendat ad Minores prohibitio, inter Dd. non constat. Exstant diversissimæ hac de re opiniones, quas longâ serie enarrat Tiberius Decianus *tractat. Criminal. lib. 3. cap. 12.* Ex quibus media sententia videtur optima, quod nempe minores 20. annis regulariter nequeant accusare, nisi illis Casibus, quibus & Pupillis concessum, quos antea recensuimus, intercedente tamen auctoritate Curatoris. Et hujus prohibitionis ratio in eo fundata videtur, quia minor non potest esse procurator. *l. minor se in pr. ff. de procurat.* ob restitutionis beneficium in integrum quod habet. Quod si ergo nec Procurator esse potest in rebus civilibus, multo magis arcebitur à denunciatione & accusatione criminum, quæ se ipsum periculo talionis, calumniæ, expensis subjiceret, quum tamen LL. in quantum fieri potest, subveniant pupillo & minoribus, ne ob imbecillitatem intellectus & judicii defectum, periculis tantis se exponant. *l. 1. ff. de minorib. l. ult. C. de legit. tut.* Quod si tamen Minores 20. annum compleverint, maturiori judicio illos præditos accusare posse à Dd. vultò creditur. *Carpz. Præf. Criminal. part. 3. qu. 104. n. 25.* Quæ sententia quamvis LL. Romanis defendi nequeat, prope tamen accedere videtur ad Jus Saxonicum, quo Minores 21. anno completo Majorenes fiunt. Et hoc quod dictum à ³⁶ nobis est de Pupillis & Minoribus, quod ad accusandum facile non admittantur, multò magis obtinet in iis, qui intellectu & judicio vel ob tenerimam ætatem, ut infantes, vel praves mores, ut prodigi, vel infortunium & morbum, ut furiosi & mente capti penitus destituntur. Cujus prohibitionis ratio in promptu est, quod hæ personæ nec velle nec nolle credantur. Transimus ergo ad alias. Quartò succedunt ii, qui quidem illius sunt ætatis, ³⁷ sexus & judicii, ut accusare non prohibeantur, ob vitæ tamen maculam non omni sunt suspicione & exceptione majores. Et huic

O o o 3

catalogo.

DE PERSONIS, QUAE

474
 catalogo adscribo: qui ob delictum aliquod proprium sunt infames, de quibus vide integrum catalogum apud Tiberium Decian. *lib. 3. c. 17. p. 101.* qui turpis quaestus gratiam accusant, & numos ob accusandum vel non accusandum acceperint. *l. 8. ff. de accusat.* qui iudicio publico damnati, calumniam notati. Qui cum bestiis depugnandi causa in arenam intromissi, qui artem ludicram vel lenocinium fecerint, qui praevagationis iudicio pronunciati &c. *l. 4. ls. q. ff. de accusat.* Qui falsum testimonium subornati dixerunt. *l. 9. ff. eod.* Junge huic classi paganos, Turcas, Judaeos, Haereticos, Atheos & nullius fidei, blasphemos, excommunicatos. Socios Criminis, Eos, qui a testimonio dicendo repelluntur. Eos, qui accusatores spoliaverunt & qui per calumnias accusatum semel accusarunt. Qui tamen omnes, si suam injuriam exequantur mortemve propinquorum defendant, ab accusatione non excluduntur *l. 11. ff. eod. pr.* Quinto Ab
 38. Accusatione repelluntur, qui quidem legitime sunt aetatis constantis iudicii & integre vitae, ob aliam tamen quandam rationem suspecti aliquo modo. Uti sunt Pauperes, qui minus quam 50. aureos habent. *l. 10. ff. de accusat.* quamvis haec prohibitio non videatur in praxi observari, nisi paupertatem mali mores inquinent, quum alias pauper a testimonio dicendo, si integre sit vitae scele-
 39. risque purus non repellatur. Hic multum arbitrio iudicis est tribuendum, cujus de omnibus incumbit cognoscere, & an suspicione quaedam accusans laboret, dijudicare: & utrum admittendus dispicere, qui ignotus est, alienigena, graciosus, litigiosus vilis & humilis conditionis: Magis videtur tamquam suspectus rejici posse ab accusatione, qui ipse jam est accusatus, antequam absolutus fuerit, Inimicus &c. de quibus prolixè vide *Tiber. Decian. tract. crim. cap. 22. 24. 25.* In sexta classe eorum, qui accusare prohibentur, sunt etiam illi, qui accusatione quidem in totum non prohibentur, sed certas saltem personas nequeunt, quibus vel ex naturali vel civili ratione aliquam debent reverentiam, vel ob aliquod vinculum necessitudinis, consanguinitatis, affinitatis vel summe amicitiae amorem mutuum. Sic liberti ob conditionem suam contra Patronos suos insurgere non poterant accusando. *l. 8. inf. ff. de accusation.* Quae prohibitio de libertinis & libertis tanta est



Et in Jure Romano, ut si accusatores manumissores vel heredum
 esse præsumserint, eodem, quo servi supplicio teneantur, luituri
 pœnas ante prohibita delationis exordium. l. 21. § 20. C. qui ac-
 cus. non poss. Ex naturali ratione liberi parentes accusare neque-
 unt, non saltem ob summam, quam eis debent reverentiam, sed &
 pietatem naturalem, quæ pietatis ratio eandem prohibitionem
 videtur operari in Parentibus, ut nec hi liberos accusare possint. 42
 Inprimis si non propriam injuriam vindicent, sed alienam, vel in
 tali crimine, quò enormiter Resp. læditur, uti in crimine læsæ Ma-
 jestatis, hæresis. De matre textus est in l. 13. C. de his, qui accusa-
 re non poss. cujus hæc sunt verba: Propter insidias, quas vita tue para-
 tas contendis (de matre lex est concepta filium accusante) accusa-
 tionem apud præsidem provinciæ contra filium tuum, si pietas & ratio
 naturalis animi tui non revocat intentionem constituere potest. Exten-
 dit se hæc prohibitio quoq; ad fratres & sorores adhibitâ tamen
 distinctione inter crimina leviora & magna seu capitalia: Illorum
 accusatio est permessa l. 18. C. qui accus. non pos. Si sororem tuam le-
 viorum commissorum ream facis, accusationem non prohiberis exercere
 in judicio prædiali, quo rememari è commissa congruâ ultione plectan-
 tur. Horum verò scil. magnorum est interdicta l. 13. C. eod. Si
 magnum & capitale crimen ac non leve frater contra fratrem suum insti-
 tuit, non solum audiendus non est, sed etiam exilii pœna plectendus.
 Qualis pietas autem inter fratres & sorores, nec non inter liberos. 46
 & parentes intercedere solet, talis etiam de jure Civili præsumitur
 esse, si non in totum, in tantum tamen inter eum, qui ut alumnus
 in alterius domo educatus est, & ipsum, qui ut Nutritor illum
 educavit, Pia. admodum hac in re exstat l. 17. C. de his, qui acc. non
 poss. quam integram huc adscribere non puto ab instituto alic-
 num: Verba autem hæc sunt: Iniquum & longè à seculi nostri bea-
 titudine esse credimus, ut Thavmasius (alumnus) accusandi ejus habeat
 facultatem, in cujus domo eum quamvis ingenuum à prima atate tamen
 fuisse constabit. Quare ex nomine Thavmasi mentio super conflictu
 criminis cum Symmacho conquiescat. Si quam hanc civilem petiti-
 onem idem Thavmasius sibi competere confidit judicio prædiali poterit
 experiri. Ex qua lege patet distingui inter petitionem civilem. 47
 & accusationem criminalem. Quod illa non æque sit prohibita in-



tèr personas conjunctas, quàm hæc, quum & liberi parentes & liberti Patronos convenire possint, si suarum rerum defendendarum gratiâ id faciant. Verba l. 11. §. 1. ff. de accusat. huc faciunt: *Liberi libertiq; non sunt prohibendi suarum rerum defendendarum gratiâ, de factò Parentum Patronorumve queri: veluti si dicant: Vi se à possessione ab his expulsos, scilicet non ut crimen vis eis intendant, sed ut possessionem recipiant. Nam & filius non quidem prohibitus est de factò matris queri, si dicat suppositum ab eâ partum, quo magis coheredem haberet, sed ream eam L. Cornel. facere permissum ei non est.*

48. Quod verò à nobis est dictum accusationem præsertim de magno & capitali crimine Legibus Romanis interdictam esse 1. inter Parentes & liberos. 2. inter fratres & sorores, nonnulla dubia peperisse Dd. videtur. Quæritur nempe: Quousq; nempe hæc prohibitio se extendat, num ad liberos & Parentes omnes sive naturaliter, sive civiliter tales sint, & num etiam ad fratres vel sorores ab una vel utraq; parte conjunctos, num etiam ad Patruales, ad fratres naturaliter, vel civiliter tantum ut adoptivos, vel etiam spiritualiter tales, vel eos, quos in locum fratrum juratè suscepimus, vel qui in scholis nobis cum sunt educati, item num hæc prohibitio quoq; efficax sit inter agnatos & collaterales vel cognatos, vel affines cæteros & quem usq; ad gradum. Item num omnes ii accusandi non sint ex identitate rationis, quibus vel pietatem & amorem vel reverentiam accusantes debent, quamvis LL. prohibitio illa non exstet. Et paucis nostram declarabimus sententiam.
49. Quod 1. parentes & liberos attinet Nominè parentum à Patre omnes adscendentes Patre incluso intelligi, liberorum verò adpellatione omnes descendentes contineri, indubitati juris est, & quidem in infinitum nullâ gradus computatione factâ, quæ sententia honestior dicitur l. 4. §. 2. ff. d. in jus vocan. Et quamvis de liberis, quod Parentes suos accusare prohibeantur nulla in Pandectis Romanarum LL. scripta deprehendatur prohibitio,
50. Pandectæ tamen cordis & juris naturalis hanc prohibitionem satis docent, quod non ferenda sit Filii impietas, qui auctores vitæ suæ capitali judicio tam in officiosè impetere audeat. Accedit ex Jure Civili desumptum à minori ad majus argumentum:
51. Quod si nempe libertus Patronû, ob reverentiam, quam ei debet, accusare

ACCUSARE NON POSSUNT.

477

accusare nequit. *l. 21. § ult. C. de his, qui acc. non poss.* Quod si liberi Parentes etiam naturales in jus vocare non possunt, quod una sit omnibus Parentibus servanda reverentia. *l. Parentes 6. ff. d. in jus vocan.* quod si Patrem, in cuius Potestate est civiliter saltem, i. e. adoptivum filio vel filia in jus vocare non licet *l. 8. adopt. ff. eod.* quidni multò magis interdictum erit liberis Parentes non saltem in jus vocare, sed de crimine capitali accusare, à quibus non libertatem & bona fortunæ, sed ipsam vitam sunt consecvuti, & quibus reverentiam non ex dictamine saltem legis scriptæ, sed & innata debent. Concludimus inde firmiter argumento desumpto à juris vocatione ad accusationem, quod Liberi, sive sint tales naturâ, sive lege & civiliter, Parentes accusare nequeant. Quod etiam verum est de Adoptivis, emancipatis, item de discipulis & alumnis, qui æqualem, quam liberi suis Parentibus, Præceptoribus & educatoribus debent reverentiam. Immò, quod dicitur de in jus vocatione, rectè asserimus de accusatione: *Generaliter eas personas, quibus reverentia præstanda est, sine jussu prætoris in jus vocare (accusare) non possumus.* Quem tamen jussu Prætoris hodiè pro arbitrio judicis in hac materia explicamus, cujus est hac de re cognoscere, quem admittere ad accusandum velit. Denique & ultimò ad hanc classem non immerito referimus ex jure Feudali Vasallos, qui Libertis Romanorum non prorsù dissimiles Dominum Feudi accusare citra felonix crimen nequeunt, cui gratitudinem & observantiam juramento fidelitatis adstricti præsent, non odii plenam delationem *cap. 1. quibus mod. Feud. amittantur.* Et tantum de liberis & omnibus aliis, qui instar liberorum ob pietatem & reverentiam ab accusatione repelluntur. Succedit jam nunc quæstio altera: Num ne hæc prohibitio eadem obtineat in Parentibus vel iis, qui Parentum loco habentur, ut nec hi liberos vel illos, qui liberorù loco illis sunt, de capitali crimine accusare possint? Et videtur quidem ratione pietatis & amoris idem esse dicendum, non tamen reverentiæ, quam liberi Parentibus, non contra hi illis debent. Unde in *LL. Romanis* non simpliciter interdicta est Patri Accusatio filii. Quamvis enim pietati congruentius est controversias inter Parentes & liberos intra domum terminari *l. 4. C. de patr. potest. & si liberi*

PPP

beri



beri debitam observantiam & obsequia Parentibus non praestent
 Pater jure patriae potestatis eosdem coërcere & acriore remedio
 uti possit, si in eadem contumacia perseverent; hæc tamen coër-
 citio se extendit ad leviora saltē crimina punienda liberorum non
 atrociora, quum jure vitæ & necis sublato, patria potestas hodiè
 non in atrocitate, sed pietate consistere debeat. Quod si ergo
 enorme sit delictum Liberorū, Pater in Rep. Romana Præsidi Pro-
 vinciae filium offerebat, ut in eum sententiam ferret. Sunt non nul-
 li casus expressi LL. Rom. ex quibus est *l. 2. ff. ad L. Cornel. de si-*
cariis Inauditum filium Pater occidere non potest, sed accusare eum
apud præfektū præsidemve provinciae debet. In crimine adulterii non
 videtur dubium esse, quin Pater filiam accusare possit, quod si n.
 permittum ei est, filiam adulteram occidere *l. Patri 20. ff. ad l. Jul.*
de adult: multò magis accusare. De qua accusatione expressus est
extus in l. 14. is, cujus op. 149. 2. penult ff. Marito primum vel Patri
eam filiam, quam in potestate habet, intra dies 60. divortii accusare
permittitur. Tertius casus est LL. expressus, si liberi Parentibus
 vitæ insidias struxerint. *l. propter insidias C. qui accus. non possunt.*
 Quod verò dictum jam est de Patre, de omnibus, qui in adscen-
 denti sunt lineâ Avo, Proavo &c. intelligendum est, in primis si
 habeant liberos in patria potestate. Limitatur tamen hæc sen-
 tentia, quando statuitur Parentes naturales liberos suos accusare
 posse in criminibus capitalib. 1. Ut hæc accusatio magis oblatio,
 quæ judici sit, dicatur, quam vera accusatio & solennis. Quem-
 admodum enim in civilibus causis non videtur vera actio esse in-
 ter Patrem & filiū, uti nec in privatis delictis actio furti contra fi-
 lium datur, cujus ratio adsignatur in *l. 16. & 17. ff. de furtis. Ne*
cum filio familias pater furti agere possit non juris constitutio, sed na-
tura rei impedimento est, quod non magis cum his, quos in potestate
habemus, quam nobiscum agere possimus. & l. 17. Servi & filii nostri
furtum quidem nobis faciunt, ipsi autem furti non tenentur, neque enim
qui potest in furem statuere, necesse habet adversus furem litigare, id-
circo actio à Veteribus prodita est. Simili modo pro vera accusa-
 tione non habetur, si pater filium offerat judici puniendum,
 quum ipse sententiam Judicii præscribere possit executioni man-
 dandam, uti nec subscriptione hic opus est, quâ aliàs accusator
 ad jus

ad justalionis, expensas & alia se obstringit l. 3. ff. de accusat. & in
script. (2.) Ipsa lex propter insidias C. qui accus. non poss. videtur Pa-59
 rentes monere, & ut officii sui & pietatis rationem magis habeant,
 adhortari: quàm severitatis, his verbis: *Modo pietas & ratio*
naturalis animi intentionem non revocet: quo ipso videtur innuere
 Parentibus magis legem Naturæ quæ ut ab accusatione desistant,
 svadet quam Legem civilem, quæ Accusationem Liberorum
 Parentibus indulget, esse amplectendam, & magis sequendum id
 quod honestum est, quam quod licet. Unde Judices confisi mul-
 tum in lenitate Patris ipsi sententiam ferendam permittunt. l. 2.
C. de patr. potest. vel mitiore pœna liberos afficiunt à Parentibus
 accusatos l. *militēs S. desertorem ff. de re milit.* Quod tamen non.60
 procedit in criminibus quibus salus Reipublicæ invertitur, ut in
 crimine læsæ Majestatis, ubi salus Reip. propriæ saluti anteferen-
 da l. *quisquis S. ult. C. ad L. Jul. Maj.* (3.) Accusatio Parentibus.61
 permittitur, si vindicent injuriam propriam, non alienam. *Tibe.*
Decian. tract. crim lib. 3. cap. 13. n. 10. Restat 3. discutienda illa.62
 quæstio, quousq; in materia accusationis se extendat prohibitio
 inter agnatos, cognatos vel affines, vel alia familiaritatis & amici-
 tiæ lege conjunctos? Et cum prohibitio sit hæc strictè intelligen-
 da, quod impedire videatur salutem Reipublicæ, quæ in eo quoq;
 versatur, ut delicta non maneant impunita, quod tamen defici-
 ente accusatore sæpe fieri solet, non videtur certi aliquid hac in re
 ultra expressas leges, quibus fratribus & sororibus hæc interdici-
 tur, l. *si magnum C. qui accus. non poss.* statui posse, ob regulam l. 8.
ff. de accus. quâ dicitur omnes accusare posse, qui expressè non
 prohibeantur. Hinc puto agnatos, cognatos, affines, socios,
 amicos intimos, benè quidem facere, si ab accusatione funesta
 consanguinitate vel aliâ amicitia lege conjunctorum abstineant,
 si verò Reip. amore & conscientia adacti accusare Reos criminis
 velint, non arbitror eos à judice repelli posse, adeò ut quamvis.63
 nulla hic differentia sit inter fratres, num uterini saltem sint vel
 utrinq; conjuncti, num naturaliter tantum vel legitimi simul.
 Cum hic non jus successione, sed sanguinis attendatur, nomine.64
 tamen fratrum non veniant Patruales, nec fratres adoptivi, uti
 nec fratres jurati, collatanei, nec spirituales. Quamvis de
 collataneis putet Decianus, quod ab humanitate abhorrere vi-
 deatur



deatur, quod is eum accuset, quem idem lac, iidem mores, iidem Educatores pari affectu educarunt. Lex enim disponens de casu vero non extendenda est ad casum fictum. Et tantum etiam de ijs personis, quæ accusare prohibentur ob reverentiam, vel pietatem, quam sibi mutuo debent.

SEPTIMA CLASSIS illorum est, quorum officii ratio non permittit, ut accusent alios de criminibus. Quales sunt I. Milites, cujus prohibitionis ratio in lege hæc datur, quod propter Sacramentum prohibeantur, qui stipendia merent, *l. 8. ff. de accus.* quæ obscura & generalis causa ex tenore juramenti explicanda venit, quo milites jurato promittebant, se numquam à signis vel castris injussos recedere velle Livius lib 22. adeò ut milites vi hujus sacramenti etiam si Romæ erant, pro absentibus tamen habiti, & ideo quum milites instar servorum, non sui vivant juris & arbitrii, immiscere se aliis negotiis tam extrajudicialibus quam in primis judicialibus nequeunt: Quæ ratio prohibitionis sat sufficiens esse potest, ut alias in ordinis contumeliam fingere necessum haud sit: quod nempe hoc genus hominum, quum arma ferant & armorum disciplinam profiteantur, prompti sint ad minas, injurias, concusiones &c. quod malæ sint conscientiæ, & quæ aliæ passim à Criminalistis recensentur. Vide *Tiber. Decian. tract. crimin. lib. 3. c. 16. n. 8.* Et sanè veram & unicam prohibitionis causam illam, quæ ex lege 8. *de accus.* allegata fuit esse inde patet, quod si milites actu in expeditione & castris non sint, sed in civitatibus degant, positi ad excubias civitatis, propter publicam utilitatem ad accusationem admittantur, uti nec militibus omnis prorsus erit deneganda accusatio, si suam vel suorum injuriam vindicent *l. 11. ff. de accusation.* vel si militare sit delictum, quod militari judici defertur, ut in eo summarie & militari jure procedatur, vel denique si militia sint honestè missi & veterani, vel si crimen sit, in quo promiscue ad accusandum quivis admittitur, uti in crimine læsæ Majestatis. 2. Ad hanc classem referimus Clericos, quorum est secularibus negotiis sese nec immiscere, multò magis judicio quo de sanguine & capitis pœna controvertitur, inter esse, sed precibus & laboribus sacris vacare, eo quod milites dicantur cœlestis militiae. *l. 23. C. de testamen. ubi dicitur opprobrium esse Clericis, si peritos se velint disceptationum esse forensium, & absurdum esse, ut promiscuis actibus*

bus

bus turbentur officia. 3. Ob officium & potestatem quam gerunt, 71
nec Magistratus ad accusandum salvâ dignitate procedere possunt.
Ratio quia nec hi sine fraude in jus vocari queunt. *l. 8. ff. de accusa-
tion. l. 32. ff. de injur. l. 2. ff. de injus vocand.* Ergo nec alios interea
in jus vocare vel acculare debent. *Wesemb. in Parat. ad tit. ff. de
accusationibus num. 9.* Quod tamen communiter Dd. intelli-
gunt de Magistratibus Romanorum Majoribus non etiam Mino-
ribus, qui potestatem non habent vel dignitatem majorem. *Tiber.
Decian. tract. crim. lib. 3. cap. 15. num. 4. 5. & 6.* ubi ad contraria re-
sponderet.

Octavo & ultimo jure Civili ab accusatione repelluntur omnes 72
ii, qui accusationem cœptam ad finem perducere difficulter pos-
sunt, vel quod ipsi criminis sint Rei capitalis, vel quod contra le-
ges publicas accusent, vel quia exceptione aliquâ à Reis removeri
possunt à limine judicii. Sic LL. Romanis salubriter cautum est,
in primis Lege Juliâ publicorum judiciorum, ne eodem tempore
de duobus reis quis quereretur nisi suarum injuriarum causa. *l. 12. §.
2. ff. de accus.* Cujus prohibitionis Criminalistæ hanc dant rationem,
quod accusator jure Civ. subscriptionis vinculo se obliget ad talio-
nis pœnam sustinendâ, quæ si capitalis esset, non admitteret divi-
sionem vel corporis scissionem. Quod tamen non intelligendum
est de eo casu, si plures accusentur de eodem delicto, vel connexo
& dependenti e.g. mandans & mandatarius, vel duos quis accuset
diversis temporibus & libellis. Quum duos accusare permissum
sit. Qui verò duos delatos habet reos, tertium accusare & defer-
re non potest, nisi propriam injuriam queratur. *Dionys. Gottho-
fred. ad l. 16. C. de his, qui accus. non poss. 2.* Specialis prohibitio de- 73
prehenditur in crimine adulterii, in quo simul & Adulter & adul-
tera accusari nequeunt in favorem matrimonii. *l. 8. C. ad l. Jul.
de adult. Reos adulterii duos simul marem & feminam ex eadem causa
fieri lex Julia de pudicitia vetat, sed ordine peragi utrosq; licet, addit
Tiber. Decian. cap. 28. lib. 3. n. 7.* Rationem, quod absolutoria lata
pro altero eorum pariat exceptionem rei judicatæ contra alterum,
condemnatoria non noceat alteri. 3. Mutuæ accusationes non. 74
tolerantur, nec potest idem esse accusator idemq; reus, lex per-
spicua est hac in re, *C. 1. de his qui accus. non poss.* Prius est, ut crimi-
nibus.

nibus, quae tibi ut graviora ab adversario tuo objiciuntur, cedis atque vulnerum respondeas, & tunc ex eventu cause iudex aestimabit, an tibi permittendum sit eundem accusare, tametsi prior inscriptionem deposu-
 75. isti. Similis argumenti lex est 19. C. eod. Neganda est accusatio, qui non suas suorumque injurias exequuntur licentia criminandi in pari vel minori crimine, priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint, secundum scita veterum juris conditorum, ita tamen, ut & ipsi inscriptiones contra eas etiam pendente accusatione, deponere possint. Alias si queratur de compensatione delictorum, num mutuam compensationem
 76. tollantur, tenendum est 1. quod non obtineat compensatio in delictis diversis. 2. quod non extinguat poenam, praesertim fisco applicandam, nec praedjudicet vindictae publicae, sed 3. personam saltem accusatoris excludit. Sic maritus repellit uxorem, si adulterii accusatus illam adulterii convincat, quoad personam nempe accusantis. Sic dolus dolum excludit, spolium, spolium: quod tamen solum intellige de interesse privato, quum delictum delicto, dolo dolo numquam compensetur, si interesse
 77. vertatur Reip. 4. Idem iudicium ferendum est de pactis & transactionibus in causis criminalibus & praesertim capitalibus (quia regulariter transigere non licet in casibus, in quibus poena sanguinis non infertur) quae 1. non valent de delictis futuris ob turpitudinem, quod pariant delictorum occasionem. 2. Impediunt transactiones quidem Accusatorem, ne possit accusare vel accusationem prosequi, alios autem non neque ipsum iudicem obligant, quod minus alios ad accusandum admittere, vel ipse deficiente accusatore inquirere possit, quum pacta privatorum non derogent juri publico. *L. jus publicum ff. de pact.* Plura hac de materia quando pactum & transactio accusationem impediunt. Vide apud
 78. *Tiber. Decian. lib. 3. cap. 33.* Legibus non facile ad accusandum admittendus dicitur, si alio crimine quis postuletur ab eodem, qui in alio crimine eum calumniatus est, quamvis filius accusatoris admitti possit si aliam instituat accusationem adversus eum, quem Pater accusaverat, *l. 7. §. 3. ff. de accus.* Ad hanc classem referimus eos, qui a coepta accusatione semel destiterunt, sive per
 79. Abolitionem privatam sive per praevagationem, sive per pactum. *l. qui destit. 2. ad Sol. Turp.* quod casu tamen alter ad accusandum non admitti potest *l. 11. ff. de accus. §. ult. Ab alio delatum*

nam alius deferre non potest, sed eum, qui abolitione publicâ vel privatâ interveniente aut desistente Accusatore de reis exemptus est, alius deferre non prohibetur. Et hæ, quas longâ serie recensuimus, illæ personæ sunt, quæ accusare prohibentur. Ex quibus facile colligere licet qui nam accusare possint *l. 8. ff. d. accus.* quas tamen recenset *Collegium Argentoratense ad Tit. ff. de accusatione.* nos generali regulæ dictæ *l. 8. ad,* quiescimus, quum si scierimus qui non possint, facile intelligi liceat, qui possint. *argum. princ. Inst. de iis, qui sui vel alieni juris &c.* Illud unicum circa has personas, quæ accusare possunt vel non, addimus, quod si plures sint, qui Reum in publicis judiciis accusare volunt, iudex eligere debeat eum, qui accuset, causa scilicet cognita æstimatis accusationum personis vel de dignitate, vel ex eo quod inter est, vel ætate, vel moribus, vel alia iusta de causa. *l. 16. ff. de accusatione.* Quod *Wesemb.* ad *h. t. in Parat.* explicat, si inter illos non convenit, quum plures admitti posse putet, ut simul unum accusent, si omnium inter sit. Quod arbitrio iudicis ut multa alia in hac criminali causa puto esse committendum. Et hæcenus de prima persona dicta sufficiant iudicii criminalis nempe de Accusatore. Ordo postulat, ut ad alteram principalem Personam, Reum nempe nos conferamus, & brevibus præsentis Disputatione dispiciamus: Quinam accusari possint vel non, & ei formam accusandi legibus præscriptam paucis annectamus. De iudice enim & foro competente Criminali, nec non aliis Personis accessoriis, quæ alias ad Ordinarium Processum pertinent, sequentibus dicetur dissertationibus.

CAPUT IV.

De

PERSONIS, QUÆ ACCUSARI

possunt vel non, & formam legitimam

Accusationis.

SUMMARIA.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Circa Personas in iudicio Ordinario Criminali tria observanda sunt: Accusatoris habi-</p> | <p>litas, Accusati qualitas & iudicis competentia.</p> |
|---|--|

2. Quæ



2. *Quemadmodum omnes accusare, ita quoque accusari possunt, qui non specialiter prohibentur.*
3. *Plures tamen sunt, qui accusare, quam accusari prohibentur.*
4. *Rei sunt, qui de crimine accusantur, quorum est fugere, excipere, quorumque partes favorabiliores sunt, quam Accusatorum.*
5. *Accusari omnes possunt, sive mares, sive feminae, sive liberi vel servi, puberes vel impuberes, filii familias vel patres.*
6. *Accusari nequeunt illi, qui vel ob aetatis imbecillitatem, vel mentis defectum nesciunt quid agant, dolique non sunt capaces, ut Infantes, furiosi, mente capti.*
7. *Minores 25. annis cum doli capaces sint, accusari possunt, nec in delictis uti in civilibus causis beneficio gaudent restitutionis in integrum.*
8. *Impuberes si pubertati sint proximi accusari possunt, mitius tamen ut plurimum puniuntur, multo magis si infantiae proximi.*
9. *Infantes, quamvis ad legalem coercionem et judicalem non trahantur, a Parentibus tamen virgis caedi vel alio modo castigari pro qualitate delicti etiam carcere includi possunt.*
10. *Furiosi, mente capti, Melancholici, quamvis ob defectum mentis et consilii extra poenam sint, ut etiam de illis puniri nequeant, quae ante furorem commiserunt, a poena tamen omni non excusantur, si dilucida habeant intervalla: vel furore remisso deliquerint.*
11. *Furiosis comparantur muti et surdi simul, qui omni prorsus intellectu destituti.*
12. *Accusari nequeunt de criminibus, qui Judicem his in terris non habent, nec Superiorem recognoscunt.*
13. *In Rep. Romana accusari non poterant Magistratus majores quamdiu Magistratum gerebant.*
14. *Aliud dicendum, si Magistratum deposuerint, qui annuus erat vel Minores fuerint Magistratus.*
15. *Ita quoque accusari potuerunt super crimine, cujus poena est remotio ob officio, vel dignitas sola sit sine administratione.*
16. *Hodie videtur illa prohibitio cessare, quod Magistratus ut plurimum sint perpetui, ne ita delicta maneant impunita.*
17. *Cautè tamen Praeses judicii criminalis agere debet, ne cuiusvis ex subditis accusando contra*

- tra Magistratum insurgere liceat.
18. Absentes non accusantur, sed à judice inquiruntur vel requiruntur.
19. Mortui regulariter accusari nequeunt, nisi in Criminibus atrocioribus, quibus fama mortui damnatur, & pœna ad heredes transit, vel si condemnati sint ante mortem ad pœnam pecuniariam.
20. Appellatio super sententia criminali interposita, facit cessare pœnam corporis, non bonorum.
21. Servi in iis delictis accusari nequeunt, quibus relegatio & civitatis amissio vel pœna pecuniaria in dicitur, quum neutrum ex illis habeant.
22. Secundum quid & à certis personis accusari nequeunt omnes ii, quibus reverentia & pietas debetur. Parentes, Fratres, Liberi, Patroni, Domini, Domini Feudi &c.
23. Questio præjudicialis ad tempus impedit accusationem.
24. Certo respectu accusari nequeunt Pupilli sine Tutore, Minores sine Curatore.
25. Accusatus de crimine à Titio, de eodem accusari nequit à Caio pendente accusatione.
26. Nisi ex eodem facto plura crimina nascantur.
27. Cessat eadem prohibitio, si Accusator decesserit vel destiterit.
28. Semel qui accusatus est de eodem crimine ab eo, qui destitit iterum, accusari nequit.
28. Destitisse non solum in hac materia criminali censetur, qui à lite, quam calumniandi animo instituit, penitus abstinuit, se & qui quoque modo illi renunciavit.
30. Semel condemnati vel liberati, ab eodem, de eodem crimine accusari nequeunt.
31. Benè tamen ab alio, vel eodem de crimine diverso.
32. Iterum accusari poterit ab incidenti quâdam causa absolutus, non delicto principali, vel liberatus saltem à crimine in foro conscientia.
33. Accusari nequeunt, quibus pœna à Principe remissa, vel si abolitio criminis generaliter facta.
34. Nec non si præscriptione sint tuti Rei.
35. Accusatio quoque fiat secundum formam LL. præscriptam.
36. Solennitates Accusationis & Inscriptionis qualis de Jure Civili Romano est necessaria à parte Accusatoris.
37. Formula inscriptionis.
38. Finis inscriptionis fuit, ne temerè ad accusandum quilibet proflire potuerit, dum se ad



pœnam talionis in casum succumbentia obstringere debuit.

39. *Sine inscriptione nemo ad accusandum admissus in Rep. Rom.*

40. *Juribus & moribus nostris à dura hac inscriptione recessum est, ne periculi metu Accusatores deterreantur.*

41. *Secundum Ordinatem Criminalem Carolinam Accusator cavere debet de sumtibus & damnis refundendis in casum succumbentia: vel donec id fecerit, custodia retinendus.*

42. *De jure tamen Saxonico non videtur illa detentio in custodia recepta, sed sufficit cautio vel fidejussoria, vel pignoribus, vel etiam pro arbitrio judicis Juratoria, à qua tamen Possessores immobilium liberantur.*

43. *In primis ab accusatore libellus offerendus est in scriptis, quum in magnis non liceat ore tenus accusationem instituere, uti in*

levioribus permissum.

44. *Requisita libelli & contenta exprimuntur l. 3. ff. d. accusation.*

45. *Horam & diem necessario haud tenetur exprimere Accusator in libello, nisi adversario petente, quod ejus valde intersit ad demonstrandam innocentiam suam.*

46. *Peculiare est in libello criminali, quod in eo sola narratio facti sufficiat absq; conclusione, nec sententia libello conformis ut sit, requiratur.*

47. *Non tamen vitiatur libellus, si in eo certa pœna petatur, quam Judicis secundum formam juris & statutorum mutare licet.*

48. *Libello oblato & cautione præstita porro in judicio criminali procedit Judex, uti in civili, per litis contestationem, exceptionem, probationem, reprobationem, sententiam, executionem.*

1. **Q**Uoniam tria in primis circa legitimam accusationem sunt consideranda ratione personarum in judicio Criminali, Accusatoris habitas, Accusati qualitas & judicis competentia. Petr. Theod. Coll. criminal: disput. 4. §. 2. & de priori in præcedenti capite à nobis sit dictum, ad secundum præsentis capite nos convertimus nempe Accusati qualitatem. Repetimus ergo hic regulam, quam ex l. 8. ff. de accusat. de accusatoribus dedimus, quod sicuti omnes accusare possunt, nisi specialiter prohibeantur, ita simili ex ratione omnes illos accusari posse asserimus, qui LL. vel statutis non sunt è numero eorum, quos Reos facere licet, exempti. Videamus ergo hos, qui accusari non possunt, & facile intelligemus, qui possint, *argument. pr. Inst. de his, qui sui vel alieni sunt juris. l. 8. ff.*

de

de accus. Non tamen tanta videtur in LL. copia prohibitorum ac- .3
 cusari, quam accusare, quum pauci saltem sint, qui excipian-
 tur. In genere verò præmittendum est, quod Rei sint, qui de cri- .4
 mine præsertim publico, accusantur *l. si qui Reus ff. de publ. jud.* qui
 à Re, cujus causa conveniuntur, & quæ ab illis petitur, seu de qua
 controvertitur, nomen habent. *c. forus infm. de V. S.* qui etiam
 Fugientes dicuntur, quod Reorum sit fugere, excipere, onus
 probandi in Adversarium devolvere. *l. properandum ii. §. i. C. de
 Jud.* Et favorabiles in jure dicuntur partes Reorum quam Ac-
 cusatorum, eorumq; conditio in dubio melior. *l. merito ff. pro socio
 l. favorabiles ff. d. R. I.*

Quum a. ut dictum, omnes Rei fieri possint paucis exceptis, si- .5
 ve mares sint, sive fœminæ, sive puberes, sive impuberes *l. iii. ff. de
 R. I. l. 17. ff. de accus.* sive liberi, sive servi, sive filii familias, sive pa-
 tres s. pauci illi qui sint, qui excipiuntur ab Accusationibus, con-
 siderandi sunt. Inter hos (1.) sunt illi, qui delinquere non possunt,
 vel ob ætatis imbecillitatem, vel mentis defectum, uti sunt: *In- .6
 fantes, Furiosi, mente capti*, illos enim innocentia consilii, hos ca-
 lamitas & personarum infelicitas excusat. *l. 60. ff. de rei vind. l. 12.
 ff. adl. Cornel. de Sicar.* Quod tamen ad minores non extenditur, .7
 vel impuberes, si doli sint capaces. Quamvis n. Minoribus 25. an-
 nis ob fragile & infirmum ætatum consilium & multis captioni-
 bus suppositum, multorum insidiis expositum, Prætor auxilio, id
 est restitutione in integrum succurat, *l. i. ff. de minorib.* hoc ta-
 men beneficio saltem gaudent in civilibus causis (2.) non passim
 minoribus subvenit, sed causâ cognita, si capti esse proponantur
l. 6. §. 3. ff. eod. & quum Jura deceptis & læsis, non decipientibus
 vel lædentibus subveniant, neq; in delictis Minoribus subveniri
 expressa lex docet *§. 3. Nunc vidend. ff. de minorib.* quod maximè
 verum est in delictis publicis, in quibus publicum interesse versa-
 tur. *Paul. i. sent. 9. §. 1.* Minores itaq; de publico delicto benè ac-
 cusari possunt, nec regulariter à pœnâ ordinariâ delicti eximun-
 tur. Quod verò impuberes concernit, accusari illi quidem pos-
 sunt, & interdum mortis pœnâ affici, si doli sint capaces & pu-
 bertati proximi, mitius tamen ut plurimum puniuntur, præser- .8
 tim si sint in fantiæ proximi, de quibus plura dicemus cum Deo in
 sequentibus, ubi de Mitigatione pœnarum agetur. De infanti- .9
 bus



bus autem manet, quod dictum, principium immotum, quod accusari, & poenâ ordinariâ vel mortis numquam afficiantur, quod dolum, qui in delictis attenditur, non committant. Quamvis à Parentibus extra judiciali poenâ virgis & verberibus coërceri possunt, vel à Magistratu ob delicti qualitatem carcere includi. *Carp. Praët. Crim. part. 3. qu. 143. n. 18.* Accusatio autem, de qua hic sermo nobis est, intendit, & propositum finem habet publicam vindictam, coërcitionem judicialem & legalem. De furiosis illud addendum adhuc est, & mente captis, vel morbo vel Melancholiâ, quod regulariter quidem nec accusentur, nec poenâ subijci possint, quum pro mortuis ratione intellectus habeantur, adeo ut nec ob delictum ante furorem commissum accusari vel puniri queant, praesertim si furor revera probatus sit, quod consilio Medicorû explorandum est, quod si verò dilucida habeant intervalla, non prorsus videntur ab omni poena imunes. Furiosis quoq; comparantur, vel potius mente captis & destitutis, qui muti & surdi simul infantibus sunt similes, & intellectu prorsus carent, secus si intelligant, quid agant, de quibus suo loco circa poenarum mitigationem pluribus dicetur.

.12 2. Accusari nequeunt illi, qui Superiorem, id est Judicem non habent, coram quo accusari possint, ut est Imperator, Reges & omnes Principes Superiorem non recognoscentes, qui supra omnes sunt Leges *Nov. 105. c. 2.* qui quamvis in foro soluti sint, committendi tamen sunt foro poli & conscientiae, quo exempti non habentur. Num autem tunc accusari valeant vel deponi, si statum Reip. invertant & contra LL. peccent regni vel imperii fundamentales, Politicis & Juris Publici Scriptoribus decidendum relinquimus.

.13 3. Jure Civili Romano accusari prohibentur illi quoq; qui Magistratum gerebant majorem, vel in eminentiori quadam dignitate erant constituti. *lex. 12 ff. de accus. pr.* ita habet: *Hos accusare non licet: Legatum Imperatoris, id est Praesidem Provinciae, item Legatum Provincialem, ejus duntaxat criminis, quod antè commiserit, quam in legationem venerit, item Magistratum populi Romani, eumve, qui Reip. causâ abfuerit.* Quod tamen non simpliciter verum, sed secundum quid, scilicet quamdiu Magistratum gerebant, annui n. ut plurimum erant Magistratus Romani, qui eo anno nec
agere

ACCUSARI NON POSSUNT. 489

agere nec conveniri poterant in iudicio sive in causis civilibus sive
 criminalibus: *lex 48. pars litterarum ff. d. iudiciis* hac de re ita habet
Magistratus, quo anno cum Imperio sunt, neque propria, neque eorum, quorum
tutelam vel curam gerunt, causam in iudicio vel agendo vel defendendo su-
stinendo. Simul ac vero Magistratus dies exierit, non ipsis tantum adver-
sus reos suos sed etiam aliis adversus ipsos litere intentare jus fasque est. (2.)
 hac prohibitio ad illos saltem Magistratus Romanos extendenda est,
 qui sine venia in jus vocari nequeunt & ita non sub illa continen-
 tur Magistratus minores ut defensores Civitatum *l. Magistr. ff. d. inju. l.*
qui accus. 8. ff. d. accus. ubi Magistratus & potestas conjungitur. Li-
 mitant hanc prohibitionem Criminalista in accusatione, quae per
 litis contestationem non continuatur, (4.) Si poena secum ferat remo-
 tionem ab officio, in quo crimine non in odium, sed favorem Magi-
 stratus accusatio differretur. (5.) Excipiunt, si dignitas sola sit sine
 administratione. (6.) Hodie non videtur esse dubium, quin de cri-
 mine publico, quamvis durante Magistratu possint Magistratus ac-
 cusari, quod dignitas ut plurimum sit perpetua, ne delicta maneant
 impunita, & ne sub velo potestatis, quam habent, impune illis gras-
 sandi & peccandi contra jus divinum & humanum & ipsam Reip. tran-
 quillitatem, licentia detur. Cautem tamen is, qui in hoc criminali iudicio
 Praeses est, agere, & circumspicere debet, ne cuivis ex subditis ex-
 pravo & caeco affectu vel odio contra Magistratum insurgere liceat.
 Cuius est, uti in omnibus, ita hic praecipue ex Persona Accusatoris
 & aliis circumstantiis iudicare, num Accusator admittendus, nec ne?
 4. Accusari prohibentur Absentes, quamvis non Reip. causam, de
 quibus antea dictum: sed ex destinato consilio vel metu poenae.
 In quos tamen Iudex ex officio inquirere vel potius requirere de-
 bet *tot. tit. C. d. requir. reis. uti in seqq.* dicetur circa poenam reorum
 absentium seu processum banni inferioris & superioris. 5. Accusari
 nequeunt mortui. *l. 6. ff. d. publ. iudic. l. 20. ff. d. ac. l. ult. ff. ad l. Jul. Ma-*
jest. quum mors omnia extingvat, nec poena delictorum, quae suos
 auctores manet, regulariter transeat ad heredes *l. si cum eo ff. d. poen.*
 Exceptis quibusdam gravioribus delictis, quibus propter enormi-
 tatem etiam heredes implicantur, quale est crimen laesae Majesta-
 tis, repetundarum, in quibus fama mortui damnatur & c. *l. 20. ff. d.*
accus. fallit etiam & cessat prohibitio, si lis contestata fuerit, & con-
 demnatio facta, praesertim ad poenam pecuniariam antequam con-
 demnatus mortuus, vel accusatus sibi mortem conciverit. Quod

Q 99 3

si vero



20. si verò à condemnatione fuerit ante mortem appellatum, & pen-
dente appellatione Reus mortuus fuerit, cessat quidē pœna quoad
corpus, non verò quoad bona, si ei fuerint adempta. *Jul. Clar. in Pract.*
1. Crim. qv. 51. n. 3. Rosbach. proc. crim. tit. 1. c. 9. 6. Quoad quid, prohi-
bentur accusari Romanorum servi scil. in iis delictis, quibus vel ci-
vitas vel bona amittuntur, quum nihil illorum habeant vel pos-
sident: ne accusatio fiat frustratoria. *Petr. Theod. Colleg. Crimin.*
disp. 4. 0. 5. 7. Secundum quid & respectu certarum personarum ab
22. accusatione immunes sunt omnes ii, quibus reverentia & pietas
præstanda est, uti sunt Parentes, Fratres, Domini, Patroni, Domini
Feudi &c. Nutritores &c. de quibus præcedenti capite dictum.
23. 8. Secundum quid & ad tempus accusari prohibentur, quorū status
controvertitur, quæstio enim præjudicialis prius erit discutienda,
quàm principalis, quum aliter puniantur servi, aliter liberi. *1. 2. C.*
24. *d. ord. Cognitio. 9.* Certò respectu, prohibentur Pupilli sine Tutore,
Minores sine Curatore accusari. *l. 4. C. d. autorit. præstan dâ. 10.* Le-
25. ges Romanæ non permittunt, ut de uno crimine à Titio accusatus
de eodem accusetur à Cajo, vel ut quis ob idem crimen ex variis
26. legibus accusetur. *l. 14. ff. d. accus. l. 9. C. d. accus. Si tamen ex eodem*
facto plurima crimina nascuntur, & de uno crimine in accusationē fue-
rit deductus, de altero non prohibetur ab alio deferri. Iudex autem su-
per utroq; audientiam accommodabit. Nec enim licebit ei separatim
de uno crimine sententiam proferre, priusquam plenissima examinatio
27. *super altero quoq; crimine fiat.* Verba sunt *l. 9. C. eod.* Fallit tamen
prohibitio, si prius delator vel accusator decesserit vel destiterit.
Clara sunt verba *l. 11. §. 2. ff. d. accus.* *Ab alio delatum alius deferre non*
potest, sed eum, qui abolitione publica vel privata inter veniente aut de-
sistente Accusatore, de reis exemptus est, alius deferre non prohibetur. 11.
28. Semel accusatus ab eo, qui destitit, iterum super eodem accusari
nequit, ubi notandum, quod quamvis in iure civili ille destitisse di-
29. catur, non qui distulit, sed qui liti in totum renunciavit, & qui de
negotio abstinuit, quod calumniandi animo instituit. *l. 10. ff. de Ju-*
dicis. In materia tamen criminali & ille destitisse credatur, qui af-
fectum & animum accusandi deposuit, imò destitisse censetur, qui
interrogatus, an vellet accusare, negavit se accusaturum, multo ma-
gis si abolitio privata intervenerit, vel pactum & transactio, vel si
prævaricatus semel fuerit accusator & prævaricationis convictus.
3. Vide prolixè *Tib. Decian. lib. 3. c. 19. per tot. 12.* Semel condemnati
vel

vel liberari, iterum accusari nequeunt. De liberatis textus est in
l. 7. §. 1. ff. d. accusat. Quæ tamen lex restringit liberationem re-¹³
 spectu prioris Accusatoris, quod res iudicatæ inter alios aliis non
 præjudicent, & ita, qui semel accusavit liberatum Reum, de eodem
 accusare nequit, alius autem admitti potest. Ita quoq; de diver-
 so crimine ab eodem accusari poterit, vel si reus saltem fuerit à
 quæstione quâdam incidenti, non Principali delicto, vel in foro
 saltem absolutus conscientia & pœnitentiâ *Petr. Theod. Colleg.*
Crim. Diss. 4. §. 5. per baptisma enim & absolutionem Sacerdotis ab-
 solutus in foro conscientia, non est absolutus à pœna vel delicto
 corporali in foro politico. *Tiber. Decian. p. 3. c. 30. n. 28. 13. 33.*
 accusari nequeunt, quibus à Principe remissa est pœna, si illam po-
 testatem habeat scilicet si remissio non sit contra jus divinum, vel
 abolitio criminis generaliter facta. *l. 1. C. d. abolit. 12. §. 1. ff. d. accus. 14.*
 Si Accusator præscriptione sit munitus, de qua præscriptione for-³⁴
 tas alibi dicitur. Et tantum de his, qui accusari non possunt. Ex
 quibus facillè intelligemus quæ possint. Cui placuerit, illas petere
 potest ex *Colleg. Argentorat. ad tit. ff. d. accus. n. 6. p. mibi 552.* Restat
 pauca annexere de forma accusationis, de jure Civili & moderno.
 Quum nempe accusare quempiam de crimine capitali, non levis
 sit momenti res, non solum Accusatoris persona non talis sit, quæ
 repellitur ab accusatione, & Rei, qui accusantur, non sint ab eadem
 LL. exempti, uti modò à nobis est dictum, sed ipsa quoq; accusatio³⁵
 coram Judice competente (de quo sequenti dicitur dissertatione)
 secundum formam LL. præscriptam instituat. Hæc forma alia est
 de jure Romano veteri, alia de jure moderno. De Jure Romano
 Accusator se adstringere debet vinculo Inscriptionis. Cujus in-³⁶
 scriptionis solennitates recensentur *l. 3. §. 7. pr. ff. d. accus.* quæ in se-
 quentibus potissimum consistunt. Accusator libellum offerebat
 in iudicio cum Consule & die, quo delictum deferebat ad Judicem
 illud nomine exprimendo, designando item locum delicti, impri-
 mis autem Reum & complices delicti: nec non mensem, quo illud
 perpetratum (neq; enim horam neq; diem invitus apponere co-
 gebatur.) Huic libello subscribere accusator debebat, quæ subscri-
 ptio in crimen præcedere debet, ideo ne facillè profiliat ad accusa-
 tionem, quum sciat inultam non futuram accusationem. Cavent
 nempe singuli quod crimen objiciant & præterea perseveraturos
 se in crimine usq; ad sententiam. Verba sunt *l. 3. §. 7. ff. d. accusation.*



37. Formula hujus inscriptionis solennis traditur à Paulo JCTO in *l. 3. ff. d. accus. talis: Apud Praetorem vel Proconsulem Lucius, Titius professus est se Meviam lege Julia de adulteriis ream deferre quod dicat, eam cum Cajo Sejo in Civitate illa, domo illius, mense illo, consulibus illis,*
38. *adulterium commisisse.* Hæc inscriptio inventa est eum in finem, ne facilè & temere quis ad accusationem prosiliat, quum accusator eadem se adstrinxerit ad supplicii intentati similitudinem & pœnam eandem, si crimen non probaverit. *l. 2. C. d. fid. instrum. ne innocentia cujusquam temerè calumniam patiat, nec accusator impunitam noverit licentiam mentiendi, cum calomniantē ad vindictam poscat similitudo supplicii.* Ea; inscriptio tam fuit necessaria, ut si
39. belli legitimè ordi nati non fuerint, Rei nomen aboleatur, & qui inscribere recusavit ad accusationem non potuit admitti. *l. 10. C. q. accus. non poss.* Et qui ita subscripserat citra notam infamiae desistere ab accusatione non poterat. *l. 2. C. ad Turpill. l. 3. C. q. acc. l. b. §. 3. ff. de decur.* Hæc forma erat Accusationis de Jure Romano. Moderno jure præsertim Saxonico ab illa solenni inscriptione quidem usu recessum est: ne metu periculi & pœnæ talionis, ad quam se accusatores adstringere debebant, absterrentur homines, quamplurima tñ. præstanda sunt
41. ab Accusatore antequam admittatur. 1. Ex Ordinatione Carolina art. 12. in pr. vel custodia tradendus est, vel cautionem præstare debet de expensis & sumtibus, nec non damnis in casum succumbentiae refundendis: quæ cautio ut plurimum fidejussoribus vel pignoribus fieri debet, quamvis hæc arbitrio Judicis committatur. In foro tamen Saxonico raro hæc Accusatoris detentio in Custodia frequentatur, sed cautio exigitur vel fidejussoria, vel pignoribus, interdum quoq; pro delicti & personarum qualitatibus juratoria admittitur, quæ tamen satisfactio vel pro expensis, vel satisfactio injuriæ non onerantur immobilium possessores, perinde uti in causis civilibus. 2. In primis autem ab accusatore offerendus est libellus Accusatorius Criminalis *peinliche Klage/* & quidem inscriptis quum non nisi in levioribus criminibus oretenus accusare liceat: & hujus libelli requisita fere omnia comprehenduntur in illa formula solenni, quæ traditur. *l. 3. ff. d. accus.* quod nempe continere debeat nomen *Judicis, Rei, ac*
44. *cusatoris,* mensem, annum, locum, speciem delicti. Diem tñ. quoq; vel horam exprimere necesse habet Accusator, si Reus petat vel ejus valdè intersit, veluti si Reus probare possit, se eo die vel illâ horâ, quibus delictum dicitur commisisse in eoloco non fuisse. *Gail. l. 1. Obs. 64. n. 11.* Illud peculiare tñ. est in libello criminali, quod in eo sufficiens sit sola facti narratio: nec aliqua requiratur conclusio. *l. 1. §. 1. ff. ad Sct. Turpill.* Unde in causis criminalibus non procedit regula uti in civ. quod sententia debeat esse conformis libello. Sufficit in criminali libello, ut accusator petat reum puniri secundum formam juris & statutorum. Quod si
46. tñ. accusator addat conclusionem & pœnam petat certam, propterea libellus non vitiatur, cum ille defectus facilè à judice excusari vel suppleri possit, modo libellus ipse non sit obscurus vel aliò vitiò laboret. *Damboud. pract. crim. c. 30.* Secus est in causis civilibus, in quibus petitio agentis certa esse debet. *Rosbach. proc crim. tit. 1. c. 7. n. 8.* 3. Libellò oblatò criminali & cautione idoneâ præstitâ litis contestatione op9 est, ut à Reo illa fiat vel affirmativè vel negativè, & porro causa tractatur per Exceptiones, Probationes, Reprobationes. *Sentenentiam*
- 47.

ULB Halle
006 681 948

3



V D 17







B.I.G.

Farbkarte #13

LIS PUBLICI
EPTIMA

34

35

49

T PRO.

MINALI

SONIS, QVÆ

SARI POSSUNT,

LIS REQVISITIS

ATIONIS,

1668 125

mi Jctorum Ordinis,

ELECTORIS SAXONIÆ

IDISSIMO,

MO, CONSULTISSIMO

ISSIMO

ORO MARTINI,

HAC ALMA LEUCO-

RALIS, CONSISTORII EC-

E ET SCABINATUS, NEC

INFERIORIS LUSATIÆ

RE GRAVISSIMO,

ffine suo observando,

EXPONIT

ICUS à Syborg/

Maji.

ELIS Wende / Anno 1668.

